SYMBOLARUM
DECAS ROMANA.

SYMBOLAE
LITTERARIAE
OPUSCULA VARIA
PHILOLOGICA SCIENTIFICA ANTIQUARIA
SIGNA LAPIDES NUMISMATA GEMMAS
ET MONUMENTA MEDII AEVI
NUNC PRIMUM EDITA
COMPLECTENTES
VOLUMEN NONUM.
Tab. Æri incisis illustrat.

ROMAE CIↃ. IↃ. CC. LIV.
EX TYPOGRAPHIO PALLADIS
SUMTIBUS NICOLAI, ET MARCI PALEARINI
PRAESIDUM PERMISSU.

FRANCISCO
COMITI
DE ABDUA
PATRITIO MEDIOLANENSI.

NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI
FELICITATEM.

QUODDAM eſt genus hominum, qui cum ſapientes haberi velint, divitias, majorum, imagines, affinitates, potentiam, corporis dignitatem, omnia denique naturæ, ac fortunæ dona contemnunt.

a 3 Alii

Alii contra ſolos beatos prædicant, qui ejuſmodi bonis abundant, qui carent infeliciſſimos. Vtrorumque ratio, qua ſententiam tuetur quiſque ſuam neque eſt omnino evidens, neque prorſus inepta. Etenim, ut eſt ingenium hominum proclive ad otium, ad luxum, ad ſuperbiam, ad libidinem, plerumque fit, ut ea omnia, quæ virtutes alere oportuit, in alimenta vitiorum degenerent. Ex adverſo, rei familiaris anguſtia, domeſticæ ſordes, imbecillitas corporis, ac cætera vitæ incommoda

moda mentis aciem obtundunt, atque hebetant, præcidunt induſtriæ nervos, atque, ut eſt in veteri proverbio, homines plane ridiculos faciunt. Vna animorum moderatrix ſapientia, in utramvis partem ceciderit, virtutis ſemina educit, & ſi quæ ſunt vitiorum ſtirpes extinguit, atque radicitus convellit. Verum ſi quidem nobis licet in ea diſputatione noſtrum proferre judicium, affirmare non dubitamus opulentiorum, ac potentum conditionem eo eſſe meliorem, quod iis virtutem aſ-

ſequi conantibus ſola interna illa egregiorum facinorum inimica cupiditas ſit oppugnanda, externa omnia ſecunda ſint, atque propitia; aſſequutis in ea exercenda latiſſimus pateat campus ad propriam gloriam, & ad aliorum utilitatem. In quorum numero Te eſſe potiſſimum FRANCISCE COMES DE ABDUA nemo non videt, qui ſummo loco inter Inſubres natus, nulla naturæ, ac fortunæ bona, nullas corporis, aut animi dotes deſideras. Atque cum ſcias quanto hæc bene utentibus, adjumento eſſe

esse possint ad virtutem comparandam, esse utique otiosa non sinis, qui usque a prima pueritia ita mores instituere, talibus disciplinis animum excolere studuisti, ut semina omnia scientiarum, ac doctrinarum mente jam complexus sis: nunc autem cum ex ephebis excesseris, non assidua solum meditatione, ac lectione librorum, sed suscepta per Europam universam utilissima peregrinatione ita aliis quotidie, ut jam efflorescere videantur; ac si quando firmior ætas, & rerum usus accesserit,

ſerit , uberrimos ſapientiæ fructus ſint allatura . Erit , erit aliquando cum peragratis Europæ finibus ad Cives tuos reverſus , Reipublicæ manum admoveas , atque iſta indole , iſta inſtitutione, iſtis opibus, tuæ laudi, Patriæ commodis, popularium tuorum felicitati optime conſulas ; quo efficies , ut ex te omnes cognoſcant quanti ſit virtus cum opulentia, ac generis claritate conjuncta . En Tibi Adoleſcens præſtantiſſime noſtrum de Te judicium , quod cum ſit æque verum , atque eſt Tibi honori-

norificum, prodere in vulgus decrevimus, ut extet in eo publicum aliquod obsequii nostri testimonium, quod non modo virtuti ac dignitati, sed etiam benevolentiæ, atque humanitati erga nos tuæ utique debemus. Haud enim sine magna animi voluptate, & aliqua fortasse gloriola recordari possumus, quanta nos comitate, non modo excipere ad Te honoris atque officii caussa adeuntes, sed nos ipsos convenire, atque invisere, nostramque Bibliothecam frequentare perhumaniter consue-

ſueviſti jam inde a puero, quando inter nobiles Clementini Collegii adoleſcentes literis in hac Vrbe operam dabas, quam profecto conſuetudinem grandior factus retinere non es veritus, atque in hunc diem benigniſſime retines. Hoc igitur conſilio, cum Gorianarum Symbolarum editionem præ manibus habere mus, aliquam hujuſce Operis partem Tibi inſcribere conſtituimus, ut inde nobis eſſet occaſio loquendi de tuis laudibus, quas & nunc eſſe notas quampluri-

mis, & ad posteros dimanare percupimus. Itaque Nonum hoc Symbolarum volumen Tibi dicatum emittimus, ac si quid habet in Te ponderis munusculi nostri tenuitas, tuo nos fovere patrocinio ne pigeat, quos tui studiosissimos expertus es, præsertim cum intelligas liberalem esse, atque beneficum dignitati, ac fortunis tuis summopere convenire. Vale.

LECTORI SUO BENEVOLO

ANT. FRANCISCUS GORIUS.

De Andrucciana Dissertatione, atque De Disputatione Critica ad Marmor vetus, quæ prima obtinent subsellia in hoc Nono mearum Symbolarum Volumine, quum in eorum limine nonnulla præfatus sim, huic Opusculis breviter laudatis, ad alia, quæ sequuntur, gradum facere, & nonnulla monere operæ pretium videtur. Ea quidem eruditionem tum sacram, tum profanam valde inlustrant. Joannis Conradi STIGLIZII *de servitute pœnæ S. Paulli Apostoli singularis liber nunc primum in lucem prodit, quem jamdudum ad me misit idem celeberrimus Auctor, litterarum, ac studiorum commercio, quod inter nos amica Pallas, & Genius ipse Antiquitatis læta, atque ut spero, diuturna benevolentiæ suavitate, ac mutuis officiis conciliavit, amicissimus; qua propter eum ad jungendos perpetuo fœdere animos, ut in albo Sociorum Columbariorum Florentinorum adlegeretur curavi, qui tanto viro omnigena eruditione excultissimo magnopere gloriantur.*

Sequi-

Sequitur ad Antiquitates medii Ævi inlustrandas perrarus Commentarius Præstantissimi Viri, Archiepiscopi Ancyrani, Justi Fontaninii, *cujus titulus* delle Masnade. *Addere cupiebam ejusdem Præsulis secundas curas, quas sperabam ab eruditissimo ejus ex fratre Nepote Abbate Dominico Fontaninio; sed ad patrios lares reversus, propter domesticas curas, & negotia morem mihi gerere non potuit. Earum loco opportunum visum est adjungere Adnotationes Celeberrimi V. P. Francisci Antonii* Zachariæ *Soc. Jesu Presb. quæ eidem Opusculo rarissimo adposita erant, ne quid in eo locupletando, castigandoque prætermissum videretur. Post elapsos circiter annos* LV. *hæc altera editio a me curata est, ne in priore conquirenda frustra torquerentur viri hujusmodi deliciarum flagrantissimi.*

Postmodum occurrit perbreve Opusculum Abbatis Joannis Baptistæ Zanobettii Florentini, eruditi ingenii, & multæ spei juvenis ornatissimi, qui memor mei erga eum amoris, & curarum, dum in mea Bibliotheca quotidie versaretur, mihi inscripsit; qui eidem hanc spartam inlustrandam, & alia tum sacræ, tum profanæ Antiquitatis Monu-

Monumenta eruditis Diatribis explicanda animo lubens obtuli ac proposui. Differit de veteris Ecclesiæ obsequiis erga morientes Fideles, mortuosque, dilucidatque antiqui codicis Bibliothecæ Magliabechianæ tum ætatem peraccurate, tum etiam in iisdem supremis obsequiis præstandis antiquas Liturgicas preces, quæ omnia cupiebam ut locupletiore Diatriba enuclearentur. Quum Romæ nunc degat, majora dabit, fultus patrocinio, & institutionibus magnorum Virorum, qui probe norunt maximis adiumentis studiosorum ingenia, & laudabiles pro litteraria republica conatus fovere, atque summa cum laude excitare.

Coronidem hisce Symbolis eruditissimis imponit Sylloge quarumdam selectarum Inscriptionum Antiquarum, quam a Viro amicissimo accepi; qui & hanc ipsam, ut spero, augebit aliis fasciculis mihi suppeditatis. His utere felix, CANDIDE LECTOR, *& meis hisce curis ac deliciis fave.*

ALOY-

ALOYSII ANDRUCCII
CYPRII

Publ. Græc. Ling. Profess. in Archigymn. Bonononiensi

DE SIMULACRO
QUODAM INCERTO:

AC

DE VOTO MELANTHI
DEQUE

ASCLEPIO
CUI NUNCUPATUM EST VOTUM

DISSERTATIO.

PRÆFATIO EDITORIS.

R*Arissimam hanc Dissertationem, postquam multa adhibita diligentia, fatigatisque per crebras litteras Bononiensibus amicis, tandem obtinui, nova luce dignam censui. Bononiæ eam edidit Clarissimus Auctor anno* MDCCX. *eamque ob multa & præclara in se merita dedicavit Inlustrissimo & Amplissimo* BONONIENSI SENATUI. *Monumenta hæc in Marsilianum Museum inlata reor post obitum Clarissimi Comitis Caroli Cæsaris MALVASIA; nam in præclaro ejus Opere cui titulus MARmora FELSINEA nec adferuntur, nec memorantur. Quod has Dissertationes acceperim, atque iterum in publicam lucem protulerim, tum Cives Bononienses, tum eruditi Cultores Vetustatis grati erunt Viro Celeberrimo* P. CORTICELLIO, *Cler. Reg. Sancti Pauli, sui Ordinis Visitatori meritissimo, in Metropol. Bonon. Pœnitentiario pro feliciter regnante Sapientissimo* BENEDICTO XIV. P. M. *qui mecum humanissime communicavit, & conquisitas misit; cui fausta omnia precor dum pa-*

triam Tuſcanicam noſtram Linguam doctiſſimis ſuis Commentariis egregie nunc inluſtrat, ut in lucem quamprimum proferat.

D*ISSERTATIO hæc, quam aggredior, dividitur in partes duas, quarum altera SIMULACRUM quoddam nominis expers, quod Bononiæ extat in Marſiliano Muſeo, ſane clariſſimo, expendit breviter: altera MELANTHI votum Aſclepio nuncupatum, quod ibidem videre licet, complectitur: ſed utraque uti planius, & apertius pertractetur, in plura capita diſtribuitur.*

DIS-

DISSERTATIONIS

PARS PRIMA

CAPUT PRIMUM.

Describitur Simulacrum incertum, ac Philosopho Pythagoræ tribuitur.

Idere eſt in ampliſſimo Marſiliano Muſeo inter cetera heroum veterum ſplendida Monumenta, etiam Simulacrum quoddam ſine nomine. Neque enim artificis, neque illius, qui repræſentatur, nomen inſcriptum legitur. Candido e marmore exculptum eſt illud, quod Vetuſtas, poſtquam obſcuraverat, dempto naſo etiam deformavit. Latitudine palmum vel æquat, vel excedit; longitudine unum, & ſeſquialterum æquat: Circumligatum faſcia caput attollit: promiſſam præfefert barbam dignam philoſopho: pexi capilli, atque neglecti deſcendunt per ter-

ga: illius collo insculptum Græcis literulis hoc ænigma conspicitur.

Prima Inscriptio.

NON ERAM SUM FACTUS
ERAM MIHI NON ISTHÆC
SI QUIS ALIUD DICAT MENTITUR
NON ERO

Secunda Inscriptio,

Quæ medium pectus occupat Simulacri hæc est.

GAUDEO ESSE JUSTUS

Tertia quoque Epigraphe

Extremam pectoris partem sibi vindicat: Græca est, sed ita latinè illam verterim.

LICET ARMIS CUSTODIARIS
LINGUA TAMEN TUA NULLA IN RE
TIBI VICTORIAM COMPARAT.
UNAM TANTUM COMPARAT
SED HÆC
TIBI MULTA INFLIGIT MALA

In subiecta oculis pagina expressum cernitur Simulacrum incertum cum hisce tribus, sed græcis inscriptionibus, quarum singulas aptari PYTHAGORÆ pro virili parte nitar ostendere.

CA-

CAPUT II.

Prima inscriptio videtur Pythagoræ convenire.

PYthagoras ille Philosophus, quem tanti Tullius ducit, ubi sit natus est anceps, & in diversas sententias distrahuntur Scriptores. Plutarchus enim 8. Symposiac. Tyrrhenum tradit fuisse Pythagoram, non quasi ibi genitus fuerit, sed quod in ea regione moratus, atque institutus sit. Hanc tamen opinionem conatur refellere Theon grammaticus. Apulejus florid. 2. hunc ferme in modum scribit: Profugit ex insula clam Pythagoras Patre Mnesarcho nuper amisso, quem invenio inter sellularios artifices gemmis saberrimè sculpendis laudem magis, quam opes quæsisse. Alii, Marmaci, alii Tyrrheni filium eum nominant, præsertim Cleanthes, qui hoc a quibusdam memoriæ proditum esse affirmat: Tyrrhenum e Lemno profectum Samum incoluisse, factumque inde fuisse, ut Samius Pythagoras vocaretur. Verum quid juvat? quid refert rem tam alte repetere?

Pythagoram itaque Hermippus tradit, postquam Italiam incoluerat, inter latebras menses per aliquot delituisse, ubi mandaverat matri, ut, quæ agerentur in Urbe, inscriberet tabulis, quas in antrum illi demitteret,

quo abunde ſatis edoctus ſingula , emergeret audacter , ementiretur vatem impavidus , & populo imponeret .

Diu ergo antrum obtinuit vaferrimus homo , cumque inedia intabeſcere maluiſſet ; hinc tandem ſquallidus , & macie confectus aſcendit Pythagoras : ad concionem vocavit ceteros , ingentique ſupercilio oſtentavit ſe reviviſcere , & ab inferis excitari , utque verſutis fabulis ſuis teſtatiſſimam fidem faceret , divinaſſe fertur Vates egregius quidquid in Urbe acciderat . Effudere lacrymas quotquot aderant , ac Pythagoram rati Numen aliquod e Cœlo delapſum , uxores ſuas erudiendas illi conſignaverunt , quæ Pythagoricæ inde nuncupatæ ſunt . Callidum hunc Philoſophum tragico gravis cothurno Sophocles acriter , & ingenioſe ita perſtringit per anachroniſmum ſub Oreſtis perſona :

Ἤδη γὰρ εἶδον πολλάκις καὶ τοὺς σοφοὺς
Λόγῳ μάτην θνήσκοντας, εἶθ᾽ ὅταν δόμους
Ἔλθωσιν ἆυθις ἐκτετίμηνται πλέον .

Quæ Latine ita : Quin etiam animadverti Sapientes ſæpe , cum mors illorum falſo nunciata fuiſſet , poſtea domum reverſos , majores honores conſecutos fuiſſe .

Notatur enim a Tragædo Pythagoras , qui cum lateret in antro , matri mandaſſe traditur , ut de ſupremo illius fato in vulgus parens rumores diſpergeret : cumque illum putarent

tarent omnes occubuiſſe, poſt aliquot menſes comparuit, declaravit infernales fabulas cum alias, tum illas etiam de mendacibus, quique negligerent legitimarum uxorum concubitus, quas illi ſcilicet pœnas poſt funera luerent: venditavit quoque ducentos per annos ſe adfuiſſe hominibus, iterum, atque iterum deſcendiſſe ad Tartara, & Heſiodi quidem animam columnæ æneæ vinculis adſtrictam, ſtridentemque ſpectaſſe: Homeri autem animam pendentem ex arbore, ob ea, quæ audacter de Diis, falſoque cecinerant. Accedit etiam, uti ſplendidus machinator fabularum Pythagoras Divinitatis nomine inſigniretur: famamque tunc admiratio nobilitavit, & auxit, cum auditoribus ſuis iſte Philoſophus inauratum alterum femorum ſpectandum præbuerit. Ariſtoteles enim ait a Crotoniatis Pythagoram Apollinem Hyperboreum nuncupatum fuiſſe: & paulo poſt Ælianus: ἔνθα καὶ τῶν μηρῶν ὁ Πυθαγόρας παρέφηνε τὸν ἕτερον χρυσοῦν: ibi, nempe Crotone, alterum femorum aureum oſtendit Pythagoras. Lucianus Βίων πράσει, & Apollonii τὰ θαυμάσια teſtantur. Metapontini illius igitur Pythagoræ Domum, Cereris delubrum vocabant, vicumque ſacratum Muſis, ſi credimus Phavorino.

Huc ſpectat quod tradit Juſtinus: Pythagoras, quum annos xx. Crotone egiſſet, Metapontum migravit, ibique deceſſit: ejus

tan-

tanta admiratio fuit , ut ex domo ejus templum facerent , eumque pro Deo colerent.

Ille igitur , qui efformavit Pythagoricum simulacrum , inducit Pythagoram ita suos discipulos , ubi illis vivus apparuit , alloquentem. NON ERAM : scilicet hactenus non existebam in omnium rerum natura Pythagoras : FACTUS SUM : modo scilicet sum factus , cum revixi , iterumque hoc corpus resumpsi : ERAM MIHI NON ISTHÆC : scilicet evolutos per menses eram mihi non Pythagoras , sed aliud nomen ferebam , & corpus aliud per metempsychosim animabam: SI QUIS ALIUD DICAT MENTITUR , NON ERO : Si quis nimirum me dicat Deum aliquem , vel Apollinem Hyperboreum (talis etenim a suis discipulis prædicabatur) mentitur , non ero : scilicet nunquam potero esse Deus , aut Apollo Hyperboreus.

CAPUT III.

Alio argumento ostenditur eadem Epigraphe Pythagoræ convenire.

SPlendide mendax Pythagoras jactabat se Euphorbum Panthoi fuisse filium , Trojanoque bello occubuisse , & interfectum a Menelao iterum revixisse. Noverat enim se factum esse Pythagoram [sic delirabat homo] agnito clypeo , quem gestaverat Euphorbus.

Id

Id ipſum teſtatur Ovid. Lib. xv. Metamorph. ſub perſona Pythagoræ:

Ipſe ego, nam memini, Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Hæſit in adverſo gravis haſta minoris Atridæ:
Cognovi clypeum, lævæ geſtamina noſtræ,
Nuper Abanteis templo Junonis in Argis.

D. Hieronymus in Apolog. ad Rufinum ita per riſum ironice traducit Pythagoram: Primum fuit Euphorbus, deinde Callides, tertio Hermotimus, quarto Pyrrhus, ad extremum Pythagoras: nec non Pauſanias Corinthiac. Malchus vero in vita Pythagoræ, idem prorſus, quod Laertius ſentit: licet A. Gellius diſcrepet, amplectaturque quod Dicæarchus, & Clearchus tradidit fuiſſe primum Pythagoram, poſtea Pyrandrum, deinde Callidem, deinde pulcherrimam fæminam Alcem nomine, ſed Meretricem. Hanc Pythagoræ de ſe opinionem ut evanidam, ſtultamque irridet Lactantius Lib. 3. de Falſa Sapientia Cap. 18. diſſentit quoque Apollonii Scholiaſtes: & Ovid. perſonam gerens Pythagoræ.

Aliàs itaque alium eundem fuiſſe Pythagoram Xenophanes in Elegia teſtatur:

Qui [Pythagoras] *catulum duro miſeratus verbere caſum,*

Cum

Cum [ut fama eſt] olim prœteriiſſet ait
Deſine , ne miſerum cœdas : Nam charus amici .
Eſt animus , quem vox indicat ipſa mihi .

Referuntur hæc Carmina ab Atheneo Lib. x. & xı. & ſequentia digna ſcitu reperio in Laertio :

Reſpice in Euphorbi radiantia ſcuta renati ,
Pythagorœ mentem noſcere quiſquis aves ;
Olim ego , dicit , eram mortalis , nec finit unquam ,
Sive erat , haud vel erat ; dicere ſemper , eram .

Itaque aliquis ut per jocum traduceret Pythagoricam tranſmigrationem , Simulacrum efformavit Pythagoræ cum hujuſmodi inſcriptione , in qua de ſe ipſe Philoſophus inducatur fateri : NON ERAM ; ſcilicet Pythagoras , ſed Euphorbus , qui Trojano bello adfuerat : FACTUS SUM : ſcilicet factus ſum Pythagoras , cum mea anima in hoc corpus tranſmigraviſſet : idque hinc præſertim intelligo , quod reminiſcar clypeum , quem Trojanas intra acies , cum eſſem Euphorbus geſtabam . SI QUIS ALIUD DICAT MENTITUR , NON ERO . Si quis nempe me dicat Apollinem Hyperboreum [talem ſiquidem prædicabant Crotoniatæ.] mentitur, non ero : nunquam ſcilicet potero eſſe Deus Apollo . Quamvis enim anima mea ex alio in aliud tranſmigratura ſit corpus ; nunquam tamen Deo-

Deorum naturam longe humana ſorte præſtantiorem, ac nullo modo, potero mihi vindicacare. Ita inducitur Pythagoras de ſe dicere.

CAPUT IV.

Secunda inſcriptio eidem convenit:

MIrum in modum æquitatem, atque juſtitiam Pythagoras coluit, ut cohortaretur Auditores ſuos ad rependendum cuique honorem, & qualis decet, & quantus debetur: Deos quidem Heroibus præferendos cultu, Hominibus autem præferendos Heroas honore, Parentes vero Hominibus cæteris. Hinc eſt, quod quatuor genera, Deorum nempe, Dæmonum, Heroum, & Hominum Pythagoras judicaverit. Horum Deos celſiſſimum, Dæmonas medium, Homines autem infimum tenere locum arbitrabatur: Heroum vero conditionem affigebat Sedi inter Deos, & Homines mediæ. Quam opinionem cæteri deinceps Philoſophi amplexi ſunt, & Philoſophorum Princeps Plato, & Ariſtoteles.

Juſtum ſe eſſe erga Deos, & Homines affirmabat Pythagoras, ac ſuos diſcipulos ad excolendam juſtitiam hoc aureo carmine excitabat:

Juſtitiam exercete opereque, verboque.

Supputator Apollodorus tradit hecatombem illum Diis litaſſe; deinde cum Neſtum amnem,

amnem, qui in Thracia Pangæi montis radices ambit, una cum sociis superasset, elatam percepisse vocem longe profecto ampliorem humana: ΠΥΘΑΓΟΡΑ ΧΑΙΡΕ: GAUDE PYTHAGORA. Idem confirmat etiam Ælianus.

Quamobrem, qui Pythagoræ Simulacrum hoc efformavit, videtur induxisse Pythagoram hoc emblemate GAUDEO ESSE JUSTUS; respondentem voci illi prope divinæ GAUDE PYTHAGORA, quam ubi Diis sacrificasset, perceperat. Jactabat enim se, cum descenderat ad eorum latibula, qui incolunt Tartara, singulos quosque vidisse: multum autem Pythagoricos differre a mortuis: una cum his quippe solis convesci Plutonem, ob illorum Pietatem, atque Justitiam. Qua de re minime mirum est, si illius Simulacro insculptum fuerit hoc emblema: GAUDEO ESSE JUSTUS.

CAPUT V.

Tertia inscriptio eidem convenit.

PYthagoras discendi cupidus relicta patria multa didicit. Primum omnium adiit, & audivit Pherecydem Syrum, qui primus dixit animos hominum esse sempiternos. Hanc opinionem discipulus ejus Pythagoras maxime confirmavit, quippe qui peregrinabundus

cun-

cunctis fere Græcis , barbarisque mysteriis initiatus est : Ille Magos Persarum , & Chaldæorum adiit : deinde in Creta una cum Epimenide in Idæum antrum descendit : Ægyptum quoque lustravit , in cujus adyta ingressus est , de Diis mysteria , & hieroglyphica perdoctus , ut Atheus Lucianus testatur . Patriam tandem repetiit , quam cum oppressam Polycratis Tyrannide offendisset , Crotonem in Italiam profectus est , si credimus Ciceroni. De Polycrate vero Æacis filio , qui Samum vi occupatam initio trifariam partitus erat cum fratribus Pantagnoto , & Sylosonte, quorum tamen alterum necavit postea , alterum ejecit , plura Herodotus in Thalia . Causam autem cur Pythagoras patriam liquerit indicat Malchus his fere verbis : Quum jam Pythagoras quadragesimum annum ageret , spectaretque sæviorem in dies Polycratis Tyrannidem , dedecere ratus Virum ingenuum sordidum istiusmodi pati imperium , in Italiam migravit . Id ipsum confirmat Plutarchus : Migravit e patria Samo Pythagoras quod graviter , & acerbe a Polycratis Tyrannide sustineretur : subscribit etiam huic opinioni Ovid. xv. Matamorph.

Vir fuit hic ortus Samius : Sed fugerat una
Et Samon , & Dominos , odioque Tyrannidis exul
Sponte erat ——

Ita-

Itaque ab illo, qui hoc efformaverat Simulacrum, inducitur Pythagoras hac tertia inſcriptione Symbolica, vel ænigmatica infauſtiſſimum exitum ita Tyranno Polycrati ominari: ARMIS LICET CUSTODIARIS, o Polycrates, cum caveas ne quis Civium impatiens tyrannidis tuæ Te morti dedat: attamen LINGUA TUA NULLA IN RE TIBI VICTORIAM COMPARAT: tua nempe lingua minis modo, blandis modo verbis inire gratiam Civium, eorumque ſtudia ſibi conciliare nititur: Sed nulla in re Civium captat benevolentiam, nunquam vel minis, vel beneficiorum pollicitationibus vincit, flectitque illorum animos, quin Te conſiderent veluti acerbiſſimum Tyrannum, quippequi alterum fratrum necaveris, & ejeceris alterum. UNAM TANTUM VICTORIAM TIBI COMPARAT, nimirum ut minis linguæ tuæ ab omnibus Civibus timeare. SED HÆC VICTORIA MULTA TIBI INFLIGIT MALA: atque hoc primum, ut ſemper omnes timeas, quem timent omnes: alterum, ut cariſſimorum etiam conſcientiam reformides: tertium, ut bene noſcas, omnes poſſe, ſi velint, quidquid mali libuerit, tibi infligere, ac poſſe omnes tibi demere vitam, ſi velint: velle autem, cum Te oderint. Nam quiſpiam forſitan vel vi, vel dolo tibi vitam eripiet nullas daturus pænas, ſed potius veluti Vindex Libertatis, ac Patriæ, præmiis ampliſſimis condecorandus. Præ-

Præclare ſane iſtam ſententiam comprobat Poeta Ennius.

„ *Quem metuunt, oderunt*:
„ *Quem quiſque odit, periiſſe expetit*.

CAPUT VI.

Inſerta Capiti Simulacri faſcia Pythagoræ convenit.

Crotone Tyrannidi inhiaſſe Pythagoram traditum eſt. Quamobrem cum apud Milonem una cum Sociis conſediſſet, Crotoniatæ flammas injecerant domui, ut concremarent Pythagoram Tyrannidis ſuſpicione, ac metu, ut prodit Laertius.

Itaque FASCIA, quæ circumligat Simulacri caput, Pythagoram deſignat, & indicat vehementer Tyrannidi anhelaſſe.

Quamvis enim præceptor egregius moneret auditores ſuos his Symbolis κυάμων ἀπέχεσθαι, ut a fabis abſtinerent, ςέφανον μὴ δρέπεσθαι, ne coronam decerperent: ut nimirum ab omni magiſtratu gerendo ſe abſtinerent; bonus tamen Philoſophus apud Crotoniatas, teſte Tertulliano, affectàvit imperium. Fortaſſe exiſtimabat Homo, ut in profana vetuſtate, ſapientiſſimus procurationem omnem publici muneris rem ſacram, atque divinam eſſe a Diis, quorum munus eſſet, religioſe

magis expetendam, quam humana vel ambitione, vel induſtria temere ſuſcipiendam. Equidem id eſſe cauſæ interpretor, cur diſcipulos ſuos Crotoniatas, qui rempublicam Ἀριστοκρατικῶς agitabant, ad detrectandos honores, ac dignitates crebro cohortaretur, ut illas abdicatas jam a diſcipulis, vel contemptas præhenſaret Præceptor, & uſurparet imperium e Philoſopho factus Tyrannus.

Egregie ergo, atque ingenioſe ambitionem Pythagoræ caſtigavit, atque coarguit Artifex, qui Pythagorici hujus Simulacri caput Diademate redimivit.

CAPUT VII.

Alio argumento idem Diadema expenditur.

CUm Crotonem acceſſit Pythagoras, leges Italis dedit, & mirum in modum ob eam cauſam colebatur, & eximiis honoribus exornabatur una cum ſuis Diſcipulis, qui trecenti facile, præclare, ſapienterque Rempublicam temperabant, ut ferme Ἀριστοκρατία, optimorum ſcilicet reſpublica videretur. Inter leges Pythagoræ non abſurde forſitan quis retulerit illas, quibus Numa Urbem Romam inſtituit: præſertim ſi diſcedamus ad eorum ſententiam, qui Numam Pythagoræ fuiſſe Diſcipulum arbitrantur, ut Plinius, qui Lib.XIII.
Gaſ-

Cassii Heminæ vetustissimi Scriptoris testimonio tradit, in arca, in qua Rex Numa situs fuisset, quæ inventa sit à C. N. Terentio in Janiculo, libros esse repertos, in quibus erant scripta Philosophiæ Pythagoricæ.

Igitur minime mirum est, si vel Rex Numa Auditor Pythagoræ, vel trecenti alii ejus Discipuli, qui honestissimis præceptoris legibus agitabant Rempublicam, in grati animi argumentum, Diadema Regum, Imperatorum, atque Heroum tesseram Pythagoræ legum latori indulserint: ut qui ea tempestate efformaverat hoc Pythagoræ simulacrum ipsius capiti inseruerit DIADEMA.

Meam sententiam hactenus de incerto isto Simulacro aperui, opinionemque meam de ænigmaticis hisce inscriptionibus in medium protuli: an divinaverim nescio: res anceps est, obscura, atque abstrusa, & veritatem in imo putei solo latere inquit Democritus: inde illam hauriat aliquis, & erit mihi magnus Apollo.

DISSERTATIONIS
PARS SECUNDA.

In hac Diſſertationis parte primum de Æſculapio, cui Votum Melanthi eſt dedicatum, deinde de Melantho, ejuſdemque Tabella Votiva dicere aggrediar.

CAPUT PRIMUM.

De Æſculapio.

Sculapium tradit Lactantius Apolline fuiſſe genitum Æſculapius [inquit] non ſine flagitio Apollinis natus quid fecit aliud divinis honoribus dignum niſi quod ſanavit Hippolytum? Homeri etiam hymnus illius teſtatur originem:

> Ἰητῆρα νόσων Ἀσκληπιὸν ἄρχομ' ἀείδειν,
> Υἱὸν Ἀπόλλωνος, τὸν ἐγείνατο δῖα Κορωνίς.

Me-

Medicum scilicet morborum Asclepium incipio canere
Filium Apollinis, quem genuit Dia Coronis.

Apollophani quoque Arcadi, cum petiisset Delphos quæsiturus ex ethnico Numine, natus ne ex Arsinoe esset Asclepius, & Civis ne esset Messeniorum, responsum his carminibus datum est (Pausan.)

Asclepi auxilium cunctis mortalibus almum,
Filia quem Phlegyæ peperit mihi juncta cubili,
In Campis Epidaure tuis formosa coronis.

Messenii tamen præ Diis cæteris colebant Asclepium, cum Arsinoe Leucippi filia natum putarent. At dum Veteres Ethnici inter se certant acriter de origine venerabilis adeo apud illos Numinis, nothum fuisse Asclepium adducor ut credam, meamque confirmat sententiam Tarquitius affirmans Asclepium incertis natum parentibus, expositum, & a venatoribus inventum, canino lacte nutritum, Chironi traditum Medicinam perdidicisse. Fatetur hoc & Ovid. Lib. 2. Metamorph.

Non tulit in cineres labi sua Phœbus eosdem
Semina, sed natum flammis, uteroque Parentis,
Eripuit, geminique tulit Chironis in antrum.

Subſcribit Apollod. Biblioth. Lib. 3. Apollo rapiens infantem e pyra ad Chironem Centaurum alendum tulit, a quo etiam medicinam, & venandi artem edoctus eſt. Quare Plutarch. Lib. 8. Sympoſiac. Cap. 14. & Medicos habere præſidem Æſculapium ſcimus: & quia unum vel alterum ſanavit Aſclepius fecit locum Poetarum mendacio coram Jove Plutonem queſtum eſſe de Jove, quod pateretur peritia Æſculapii ad vitam plures mortuos revocari, alluditque nimius, & emphaticus Nicomedes: καὶ νεκύων ἦν σπάνις ἐν ἅιδι: & mortuorum erat egeſtas in orco: Superi omnes Nicomedem perdant, niſi peritia Æſculapii, plures, quam Achillis ira:

„ Ἰφθίμους ψυχὰς ἅϊδι προΐαψεν

„ Ἡρώων: fortes nempe animas orco præmature miſit, Heroum: Hom. Iliad. A. Pindarus vero Pythior. Od. 3. ſic cecinit:

„ Ἀσκληπιόν

„ ἥρωα παντοδαπᾶν ἀλκτῆρα νούσων:

Heſculapium nempe, heroem omnigenorum propulſatorem morborum: Verum autem candide fatetur, neque adulatur Arnobius Lib. 4. contra Gentes: Nunquid cupidinis, atque avaritiæ cauſa [ſicut canit Bœotius Pindarus] Æſculapium fulminis transfixum eſſe telo? Cyprianus Lib. 3. de Idolorum vanitate hunc in modum pronunciat: ÆSCULAPIUS ut in Deum ſurgat fulminatur. Quid ni? Ars enim

enim medendi Inventori suo Asclepio Divinitatem rependit post funera : quemadmodum Vulcano Fabrica. At enim vero figulinæ artis repertori cur denegata sint templa non video. Aut omnibus artium inventoribus, aut nemini largiatur divinitatem Antiquitas. Sed quid plura? Summus Poeta clamitat Medicinæ inventorem Asclepium ad stygias undas esse detrusum fulmine, & Numen veluti colit illum cæca vetustas? Eos videlicet credit Deos, qui ne probi quidem homines extiterunt.

CAPUT II.

Describitur Æsculapius.

Pingebat profana Vetustas Asclepium venerabilem Senem, nodoso in manu baculo; & barba propexa. Signum ejus expresserat C. Suetonius in August. Cap. 59. de barba: Dionysius vero Siculorum Tyrannus censor luxus Deorum, & emendator egregius Æsculapio barbam auream demi jussit, dedecere ratus, esse barbatum filium, cum in omnibus fanis Pater foret imberbis: Sicuti Jovi Olympio aureum detraxit amiculum: laneum jussit imponi, inquiens æstate grave esse aureum, hyeme frigidum: laneum utrique tempori aptum. Rem autem non Epidauri, sed in Sicilia actam esse Ælianus testatur. Pallium, & crepidas Græco more, nempe Græcus Deus gerebat. Ter-

tull. Lib. de pallio. Cum baculo etiam effigies illi posita est: canes adhibentur ejus templo, quod is uberibus Canis nutritus sit: baculum habet nodosum, quod difficultatem indicat medicinæ. Ars enim longa [ut dolet medicorum maximus] vita brevis, experimentum difficile: Laurea coronatur, quod illa arbor plura ferat remedia: Læva manu baculum gestat, dextramque admovet barbæ. Huc collimat Ovid. canens:

Cum Deus in somnis opifer consistere visus
Ante tuum Romane torum, sed qualis in æde
Esse solet, baculumque tenens agreste sinistra
Cæsariem longa dextra deducere barbæ.

CAPUT III.

De Melantho.

MElanthum fuisse Messenium Andropompi filium, Bori nepotem, abnepotem Penthili tradidit Pausanias. Melanthus igitur ab Heraclidis Peloponnesum repentibus pulsus, Athenas pergit, cumque interfecisset singulari certamine Bœotorum hostium Ducem Xanthum, adversus quem pugnabant Athenienses, ad fastigium Regni, quod a Thyemete Atheniensium Rege ultro abdicatum est, evehitur faustis ominibus, & obscuram Oraculi sortem im-

impletam esse fama tenet. Patria enim profugus ille Melanthus Oraculum ubi nam gentium prosperis auspiciis stabilem, certamque sedem juvaret figere percontatus, responsum accepisse fertur: ubi scilicet primum munera illi pedes, & capita apponerentur: quod obtigisse postea traditur Eleusine, ubi, cum festum nescio quod patrio ritu concelebrassent Athenienses carnes absumpserant, nec quidquam supererat aliud, quam pedes, & capita, quæ obtulerunt Melantho, qui Apaturia instituit festum Baccho sacrum ob singulare certamen ejusdem Melanthi cum Bœoto Xanto. Celebrabantur vero per triduum Apaturia. Primo die epulum parabatur splendidum, jamque Sole ad occasum vergente, ad illud accedebant Tribules: altero rem sacram obibant, puerumque admovebant ad aras, quem tertio die in album civium Atheniensium referebant. De primo die, quo epulum erat, Xenophon consulatur Hist. Græc. Lib. I. *μετὰ δὲ ταῦτα ἐγένετο ἀπατούρια, ἐν οἷς οἵτε πατέρες καὶ οἱ ξυγγενεῖς ξύνεισιν σφίσιν αὐτοῖς:* post hæc nimirum instituta sunt Apaturia, in quibus parentes, ac propinqui conveniunt. Fulgebat supra modum primo die epulum. Nam pulcherrimis exornati vestibus Athenienses accendebant e foco faces, lætabundi concurrebant, celebrabantque Vulcanum, quippe qui ignis usum docuerat. Narrat rem Harpocra-

pocration. Tertio die, qui κουρεῶτις appellabatur, puerum quisque suum parentes offerebant inscribendum jurejurando adacti Atheniensem esse illum ex ipsis Atheniensibus genitum: refert id Isæus. Die illo parentes pueris proponebant pro certaminibus carmina poetarum, palmamque referebat ille, qui plura carmina mandata memoriæ palam cæteris recitaret. Plato in Timæo. Apaturia itaque (si Poliæno, ac doctissimo Proclo credimus) Melanthus ille instituit, qui valetudini restitutus Æsculapio dedicavit Tabellam istam Votivam, quam sum brevissime descripturus.

Videre est in præclarissimo Marsiliano Museo Bononiæ Tabellam quandam Votivam exculptam e candido Marmore, temporis diuturnitate aliquantum obtenebratam, bipalmem longitudine, palmarem vero latitudine: Tabellæ frontem Græca inscriptio occupat:

MELANTHUS CURATUS PRO
GRATIARUM ACTIONE
VOTUM ASCLEPIO SOLVIT.

Lævam tenet Melanthus qui voverat: dextram impleret Asclepius, nisi Tabella foret semiruta. Melanthus bene barbatus inspicitur, togatus, & regium Diadema gerens, nec male crinitus: extaret integer, si integra servaretur Tabella, quæ oculis legentium subjicitur.

CA-

CAPUT IV.

In quonam Templo Asclepii locaverit Tabellam votivam Melanthus?

MEmoriæ prodidit Pauſanias Panopenſibus eſſe in ipſa via Sacellum, & in eo Signum extare vel Promethei, vel Aſclepii, ut aliqui opinantur. Ad dexteram Dromi Agnitæ templum erexit Vetuſtas: Æſculapii hoc eſt cognomentum, quia Simulacrum ejus eſt ex herba, quæ agnus vocatur: *δία τὸ ἐν τοῖς θεσμοφορίοις* (Pauſan. & Dioſcorid.) *ἀγνευούσας γυναῖκας εἰς ὑπόστρωμα χῆσθαι αὐτῇ*: quia videlicet Matronæ in Theſmophoriis caſtitatem cuſtodientes his foliis cubitus ſibi ſternebant. Idem quoque comprobat Scholiaſtes Nicandri. A Cyrenæis etiam Cyrenaicum in modum erectum eſt Æſculapio fanum: nec non Lebenæ, quæ eſt Cretenſium Urbs, delubrum Æſculapio ſacrum extructum legimus, Æſculapio inquam, quem abſimili ritu Cyrenæi colebant capras ſacrificantes: Lebenæ vero Cives immolabant Gallinas, nec qualeſcumque, ſed nigras, & imparibus digitis, quas ad rem ſacram putabant idoneas. Lucum ibidem Æſculapii circumquaque cingunt montes, intra cujus ambitum mori quemquam, vel naſci religio eſt. [Pauſan.] Scythæ

thæ vero Sanctum appellant, in quo colitur Æsculapius, de quo Livius 3. Decad.: nullas dum in Asia habebat socias Civitates Populus Romanus, tamen memores Æsculapium quoque ex Græcia quondam haud ullo fœdere sociata valetudinis populi causa accersitum. Hinc Oraculum apud Ovid. Lib. xv. Metamorph. ipse Apollo consultus:

Quod petis hinc, propiore loco Romane petisses,
Et pete nunc propiore loco, nec Apolline vobis,
Qui minuat luctus, opus est, sed Apolline nato:
Ite bonis avibus, prolemque accersite nostram.

Accersiverant profecto Romani Æsculapium Epidauro Romam: eidemque templum erexerunt in Tyberis insula, quam sedem sibi ablegerat, cum intra Urbem morbus sæviret, & Cives extra pomœrium degere salubrius ducerent. Illic ad valvas templi, qui morbo aliquo laboraverant, incubabant valetudinis causa. Quamobrem qui morbo levatus minime fuerat apud Plautum his verbis incusabat Asclepium Deum hujus farinæ:

Migrare certum est jam nunc e fano foras,
Quando Æsculapi ita sentio sententiam.

Aliæ quoque Gentes Æsculapii delubra extra Urbis mœnia extruxerunt: hunc morem vero ab Ægyptiis ductum esse, & in ceteras pro-

propagatum Gentes crediderim. Ab illis namque ſancitum fuerat, ut nunquam Saturni templa, ac Serapis admitterent intra mœnia, ſed veluti pervigiles, & excubitores Deos extra Pomœrium ſedes habere ſinerent.

Inter tot, tamque magnifica Æſculapio dedicata ubique ferme Gentium fana, Delubrum Epidauri fama maxime celebraverat: in illud velut inſigne miraculis, & πανακὲς, morborum ſcilicet omnium remedia promittens afferebant vota ægræ Gentes, Principes, ac Reges, præſertim ii, qui pertinebant ad eas plagas, unde lucis primordium eſt.

Quamobrem Melanthum quoque valetudini reſtitutum Tabellam iſtam votivam, quæ modo extat in Marſiliano Muſeo, conjectura aſſequor [neque enim hoc affirmare pro certo auſim] collocaſſe in Æſculapii templo, quod Epidauri colebatur, quodque maxima ægrorum præſertim Principum frequentia inclaruit, nobilitatumque eſt. Ex Epidauriis enim Æſculapii cultum in ceteros propagatum eſſe oſtendit Pauſanias. Nam & Athenienſes diem Initiorum ſtatutum, quem ſacraverunt Aſclepio, Epidauria nuncupant. Idem Auctor aſſeverat in Corinthiac. τὰ γὰρ Ἀσκληπίεια εὑρίσκω τὰ ἐπιφαέςατα ἐξ Ἐπιδαύρȣ: invenio enim feſta Æſculapii omnium magnificentiſſime Epidauri celebrari. Certamen quoque in Æſculapii honorem ab Epidauriis inſtitutum

Scho-

Scholiaſtes Pindari Nemeon Od. 3. ita affirmat: τίθεται ἐν Ἐπιδαύρῳ ἀγὼν Ἀσκληπιῷ, τῶν Ἀσκληπιαδῶν πρῶτον τιθέντων: inſtituitur nimirum Epidauri certamen Aſclepio, cum illud primum inſtituiſsent, qui ab Æſculapio genus duxerunt.

DIS-

ΜΕΛΑΝΘΟΣ ΕΠΙΤΕΛΕΙ ΙΑΤΡΕΥΘΕΙΣ
ΑΣΚΛΗΠΙΩ ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ

DISPUTATIO CRITICA
AD
MARMOR VETVS
IN QVO DE P. SVLPICIO QVIRINO DE CENSV SYRIÆ DE ITVREIS &c.

AVCTORE

A. VAN DER MIEDEN

ALCMARIANO.

PRÆ-

PRÆFATIO EDITORIS.

Clarissimus hujusce eximiæ & singularis Diatribes Auctor A. VAN DER MIEDEN, Hadriani Viri Nobilissimi & Amplissimi J. V. D. Curiæ Hollandiæ Zelandiæ Frisiæque Senatoris, Filius, dum Florentiæ moraretur Octobri mense ann. MDCCXLVIIII. *studii causa, ut antiqua monumenta & pulchriora Naturæ & Artis opera scrutando contemplaretur, veluti tesseram amicitiæ suæ, eam ipsam mihi dono dedit, quam ipse Parenti suo optimo dedicavit anno* MDCCXLV. *quum laurea donaretur, & publico examini sisteret, Præside Viro celeberrimo Petro WESSELINGIO, Eloquentiæ, Historiæ, & Linguæ Græcæ Professore. Hanc alteram editionem proferre libuit, ut meam in humanissimum atque eruditissimum Auctorem testarer benevolentiam, & obsequium, quod ipse eruditi hospitii jure sibi ob egregias animi dotes, ingenii acumen & alacritatem a doctis viris, ac præsertim a me exegit. De Consulatu, & muneribus ejusdem P. SVLPICII QVIRINI nonnulla adnotavi in Parte I. Inscriptionum ant. quæ in Etruria*

Urbibus exſtant pag. 429. *ac præſertim in Par. III. in Appendice pag.* 114. *& ſeqq. De iiſdem multa heic habes accurate expenſa ad hoc ipſum marmor eximium inluſtrandum, quo mirum in modum Sacra Hiſtoria confirmatur. Inſignem hanc Inſcriptionem, ſi magnus Cardinalis Noriſius compertam dum viveret habuiſſet, luculentiore eruditione auxiſſet Diſſertationem II. Cap.* 16. *§.* 12. *in Cœnotaphiis Piſanis, ubi egregie diſſerit* de Publii Sulpicii Quirini *Legatione, ſive Præfectura Syriaca; de quo multa nunc a noſtro Auctore præclariter ac pererudite criticis animadverſionibus obſervantur.*

DISPV-

DISPVTATIO CRITICA
I N
MARMOR VETVS
I N Q V O
DE P. SVLPICIO QVIRINO
DE CENSV SYRIÆ DE ITVREIS ETC.

Rajectum noſtram, amœniſſimam cum maxime Muſarum ſedem, primum omnium, qui quidem ſuperſunt, memoraſse *Itinerarii*, quod *Antonino* tribuitur, auctorem, vulgata multorum eſt opinio: inſtar omnium nobis unus erit Ampliſſimus *Altingius* *Antiquiſſima* [a], inquit, TRAIECTVS AD RHENVM *memoria eſt in Itinerario Antonini: apud veterum Romanorum reliquos altum de hoc ſilentium*: tum, *quod tamen ſinceræ Latinitatis amantibus appellare convenit* TRAIECTVS RHE-

 NI

a Notit. Batav. & Friſ. pag. 125.

NI *vel* AD RHENVM, *utpote nulla alia conditione, quam solius Trajectus Romanis cognitum. Qui aliter statuunt, fidenter proloquor, idoneo auctore destituuntur*. Ego vero utrumque istud magni viri a vero alienum pronuntiarem, si huc pertineret vetus hoc monumentum:

D. M.
Q. ANTISTIO. Q. F. AIMIL. FVSCO. ORIVND. MYRIANDRO.
VETERANO. LEG. III. PARTH. TRAIECTO.
IN. COH. VII. PRAET. Q. MILIT. ANN. XV. M. II. VIX. ANN.
LXIIX. M. VII. D. VI. T. F. I.

Positum enim est florente Imperio, ante Constantinum certe Magnum, quem Prætorianas * legiones penitus sustulisse notum est. Huc vero pertinere censet clarissimus *L. Ant. Muratorius*, qui ex *Donii* class. VI. 39. in novum suum Thesaurum [a] transcriptum hac nota instruxit. *Myriandrum Syriæ sive Seleucidis oppidum fuit. Hic primo Trajecti, nunc Utrecht, militavit, tum Romæ inter Prætorianos*. Sic ille. Quæ ego vereor, etsi famæ atque antiquitati nobilissimæ urbis vehementer faveo, ut certa atque apta sint ad alia opinatos de sententia detrudendos. Unde enim cognoscemus, Trajectum nostram in isto lapide indicari? Nam plures hoc nomine per Britanniam & Gallias urbes fuere, *Ortelio* [b] teste. Quæ porro causa ut urbem designari arbitremur? Dicitur sane Q. Antistius militasse annos XV. sed non Tra- jecti;

* Aurel. Victor de Cæsar. c. 40.

a p. DCCLXXX. 1. b Thes. Geogr. v. Trajectum.

jecti, sive Trajecto. Imo, rem si recte putes, nulla urbis, cui Trajectum nomen, istic mentio occurrit. Q. Antistius Fuscus Veteranus Legionis III. Parthicae, TRAIECTVS sive *translatus* perhibetur in cohortem VII. Praetorianorum militum, veteri more atque ab Imp. Septimio Severo in usum vocato [a], quo ex omnibus legionibus supplementa cohortibus Praetorianis delegebantur. Ne vero illud insolens dictionis opineris genus, vide hoc [b] novi Thesauri, a [c] Gruteriano paululum discrepans.

C. ATILIVS.
C. F. ROM.
CRESCENS.
MILITAVIT. LEG. III.
ANNIS. VIIII.
TRAIECTVS. IN.
PRAETORIVM
COH. V. PR.

tum istud quoque Thesauri [d] Gruteriani

SEX. LVCCEIVS. SEX. F.
AIMIL. TROPHIMVS
VET. LEG. IV. SCYT.
TRAIECTVS. IN. PRAETOR.
COH. VI. PR.

 Mit-

a Dio Cassius Excerpt. Vales. p.732. b p.DCCLXXXVI.2.
c p. DXXIII.6. d DLL.2.

Mitto alia, in quibus LECTI.[a] RELATI, TRALATI IN PRÆTORIVM memorantur, diligenter in unum conducti a [b] *Raph. Fabretto*. Male itaque diligentissimus *Muratorius*. Tantus autem vir cum ad rem, toties obviam, offenderit, veniam fortasse impetrabo, si quid ego in lapidis epigrammate explicando admisero, cujus memorabilia verba, ut censendi copia sit, subjiciam.

Q. AEMILIVS. Q. F.
PAL. SECVNDVS
CASTRIS. DIVI. AVG
P. SVLPITIO. QVIRINO. LEG.
CAESARIS. SYRIAE. HONORI
BVS. DECORATVS. PRAEFECT
COHORT. AVG. I. PRAEFECT
COHORT. II. CLASSICAE. IDEM
IVSSV. QVIRINI. CENSVM. FEC
APAMENAE. CIVITATIS. MIL
LIVM. HOMIN. CIVIVM. CXVII.
IDEM. IVSSV. QVIRINI. ADVERSVS
ITVREOS. IN LIBANO. MONTE
CASTELLVM. EORVM. CEPIT. ET. ANTE
MILITIAM. PRAEFECIT. FABRVM
DELATVS. A. DVOBVS. COS. AD. AE
RARIVM. ET. IN. COLONIA

QVAE-

a Reinesius Cl. 1. CCXXIV. & Marmora Felsinea p. 304.
b De colum. Trajani cap. 7. p. 196.

QVAESTOR. AEDILIS. II. DVVMVIR. II.
PONTIFEX
IBI. POSITI. SVNT. Q. AEMILIVS. Q. F. PAL
SECVNDVS. F. ET. AEMILIA. CHIA. LIB
H. M. AMPLIVS. H. N. S

Exstat Venetiis, in Ædibus N. V. Nicolai Venerii. E Sertorio Ursato.

Hæc lapis, insignis profecto atque ad Historiam Sacram, ut bene idem [a] *Muratorius*, illustrandam egregie habilis. Percurram singula, utque felix atque auspicatum sit initium, ordiar cum Æmilio, quod genus [b], *Tacito* auctore, secundum bonorum civium semper fuit.

Q. ÆMILIVS Q. F. PAL. SECVNDVS. Fuisse gentem Æmiliam illustrem & variis familiarum cognominibus distinctam, monere non debeo. Lepidi, Mamerci, Paulli, Scauri, pluresque alii in celebritate versantur, non item Secundi. Certe non memini ullum Æmiliorum hoc cognomine in Historicorum Oratorumve scriptis legere: Tacent etiam, quos consului, viri eruditissimi, qui in Familiis Roman. digerendis operam posuerunt, *Jo. Glandorpius*, *Anton. Augustinus*, *Fulvius Ursinus*. Nec nulli tamen fuere veteri Republica, quamquam obscuriores, atque e plebe, ut suspicor: lapides sane eos loquuntur & memorant;

a Thes. novi p. DCLXX. 1. b Annal. VI. 27.

DIS. MANIBUS.
C. AEMILIO.
SECUNDO.
VIX. A. II. M. X.

est in marmore inter Felsinea [a] *Cæs. Malvasiæ*. Alium Æmilium Secundum dabit Thesaurus [b] *Muratorii*. Ex sequiore sexu SECUNDAS reperimus haud semel. ÆMILIAM SECUNDAM *Reinesius* habet class. IX. 46. & class. XII. 4. Habet aliam *Gudius* p. CCL. 8.

P. SVLPITIO QVIRINO.

Nemo hunc ignorat, nisi hospes in *S. Lucæ* Evangelio & *Josepho*. Illis Κυρίνιος est, Græcorum more. Memini quidem non defuisse qui *S. Lucæ* verba sollicitare, multisque machinis indidem extundere [c] aut Sentium Saturninum aut Quintilium Varum sint adgressi. Sed eos & Codicum concordia & *Justinus Martyr*, sicuti erudite docuit Cardinalis *H. Norisius*, & hæc quoque saxi Epigraphe valide consutant. At istud necdum agimus. Fuit P. Sulpitius domo Lanuvinus, homoque novus, originem quidem repetens a Sulpitiis, quos genere minime attingebat. *Nihil ad veterem & Patriciam Sulpiciorum familiam Quirinus pertinuit* [d], Tacitus ait, *ortus apud municipium Lanuvium, sed impiger militiæ & acribus ministeriis Consulatum sub Divo Augusto: mox expugnatis per* Cili-

a Sect. 7. cap. 8. p. 433. b MCCXCII. 4. c Vales. ad Eusch. Hist. Eccl. l. 1. 5. Horreus Proœm. Miscell. Critic.
d Annal. III. 48.

Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus, datusque rector C. Cæsari Armeniam obtinenti &c. Hac ergo parte pæne par Ulyssi, qui

Sanguine cretus
Sisypheo, furtisque & fraude simillimus illi
Inserit Æacidis alienæ nomina gentis.

sicuti apud *Ovidium* Ajax criminatur. Et tamen, ne quid genuinis Sulpitiis concederet, antiquissimam gentis suæ nobilitatem numo testatus creditur, de quo [a] *Havercampus*. Cetera, quæ viri fata & gloriam illustrant, egregie collegerunt, atque expediverunt Viri Celeberrimi [b] *H. Norisius, Jac. Perizonius, Theod. Rycquius* aliique plures.

LEG. CÆSARIS. SYRIÆ.

Et Judææ addi oportuisse putares, nisi Syriæ nomen illam complecteretur; erat enim illo tempore ἡ τῶν Ἰουδαίων προσθήκη τῆς Συρίας, quæ *Josephi* verba L. XVIII. Antiq. C. I. *S. Lucæ* ἡγεμονεύων τῆς Συρίας est, sive, ut *Latinus* satis bene, *Præses Syriæ*. Nam *Præsidis officium*, ait Macer [c], *generale est: eoque & Proconsules & Legati Cæsaris, & omnes provincias regentes, licet Senatores sint, Præsides appellantur: Proconsulis appellatio spe-*

a Thes. Morell. p. 624. b Cenotaph. Pis. Diss. II, cap. 16. Differt. de Orb. Aug. Descript. p. 970. Ad Taciti Ann. III. c. 48. c L. I. D. de Offic. Præsid.

specialis est. Posses & Legatum Augusti dicere, cujus provinciam administrabat, quomodo ALBINVS LEG. AVGVSTI ASTVRICÆ ET GALLÆCIÆ in *Donii Class. V.* 219. Sed vide Celeb. *Noodt L. II.* de Jurisdict. *c.* 7. & *Ant. Campianum* de officio & potestate magistrat. Roman. *p.* 342. Neque enim in his uberiori esse libet.

HONORIBVS. DECORATVS.

Dubium videri posset cujusmodi hi honores, magistratusne, quos gesserat, an militares? Utrosque enim ambitu suo vocabulum continet. Sæpe HONOR SEVIRATVS, *honor Augustalitatis*, *honor Duumviratus*, *honoribus omnibus functi* in literatis lapidibus [a] memorantur. Quumque eadem voce publicæ rei administratio adsignificaretur, *honoratos* vocarunt, qui a Collegiis & municipiis ad munera gerenda vocabantur, de quo usu *Gorius* in Columbarium p. 119. & ante eum *Cl. Salmasius* ad *Lampridium* in Severo c. 40. Nec minus militiæ decora atque ornamenta exprimit. *Cornelius Nepos* Miltiad. C. 6. *Huic talis honos habitus est*, cui *Tacitum* Ann. III. 74. junge, & *Florum* L. IV. 2. *Valeriumque Maximum* L. II. 6. Ext. 5. Ego tamen militares intelligo, quoniam castris DIVI AVGVSTI honoribus illis decoratus traditur. Erant autem illi varii, præcipue *armillæ*, *coronæ*, *hastæ puræ*, *phaleræ*,

a V. Donii class. I. 50. II. 74. V. 48. Reinesii class. II. 87. & Ursati Inscript. Patav. p. 270.

leræ, *torques*, *vexilla*: de quibus commentari si vellem, liber esset scribendus: strictim ergo & paucis. *Armillas* Civibus dedere, quas non habent exteri, sic *Plinius* L. XXXIII. 2. & *Isidorus* Origin. L. XIX. 3. *Coronarum* alia erat *Civica*, ex quercu nexa, & ob civem servatum tributa: nam qui ex lauro illam instruunt ob *Sidonii*[a] versum, eos in errore versari dudum ostensum est; alia *Graminea*, quæ nunquam nisi in desperatione suprema contigit, nulli nisi ab universo exercitu servato decreta, iterum *Plinius* L. XXII. 4. Cedebant his *murales*, *vallares*, & *aureæ*, per excellentiam sic dictæ, [vide Cel. *Oudendorpium* ad Frontinum *l. II. c. II.*] quamquam pretio antecedentes: cedebant & *rostratæ*, ut *Plinii* verba ex L. XVI. 4. usurpem. *Aureæ* itaque omnes, quod & diserte ab *A. Gellio* adfirmatur L. V. Noct. Attic. c. 6. Video equidem *Harduinum* vallares coronas interdum argenteas fuisse, opinatum, ex *Suetonii* quodam [b] loco, qui me quidem arbitro, id non requirit. Magis miror Celeb. *Jac. Gronovium* vallarem & castrensem distinxisse, quod & castra sine vallo esse potuerint. Et *Gellius* tamen clarissime, *Castrensis est corona, qua donat eum Imperator, qui primus hostium castra pugnans introivit. Ea corona insigne valli habet*: haud sane vallarem ab ea secernens. Sed satis de coronis quas copiosissime illustravit *Car. Pascalius*, excitatique

a Panegyr. Majoriani v. 594. b In August. c. 25.

que a *Madero ad Panvinium* [a] de Triumpho. *Hastis puris* nulloque ferro armatis donabantur, qui strenue in hostem rem gesserant, ut in triumpho eas ferrent. Propertius L. IV. 3. 67.

Sed tua sic domitis Parthæ telluris alumnis,
Hasta triumphantes pura sequatur equos.

Argenteas, argento certe decoras, fuisse putant. Venio ad *vexilla*, quorum illa vel *pura* erant, vel *argento insignia*, docente *Salmasio* ad *Fl. Vopisci* Probum c. 5. Nonnunquam *bicolora* in ejusdem *Vopisci* Aureliano c. 13. Aliquando *cærulea*, cujusmodi Agrippam post victoriam Siculam adeptum legimus in *Suetonii* Augusto c. 25. *Phaleræ* tam ex auro quam argento & equos ornabant & milites. Scio de militibus controversiam esse, quam tamen illustres eruditione viri *Dukerus* ad *Florum* L. I. 5. & *Drakenborchius* in *Silii* L. XV. 255. in tanta luce collocarunt, ut dubitare nefas sit. Noli vero *torques* cum his permiscere, quibus inter dona militaria suus quoque locus. *Auxilia & externos torquibus aureis donavere, at cives nonnisi argenteis*, inquit *Plinius* L. XXXIII. 2. Possem nunc, quæ levi brachio perstrinxi, magno lapidum inscriptionumque numero cumulatius ornare. Sed parsimoniam amo, uno propterea usurus ex *Gudianis* p. CLXVI. 3.

T. FLAVIO. T. F. PAL. PETRO
NIANO. TRIB. MILIT....
..... DONATO. AB. IMP.

L. SE-

a Tom. IX. Thes. Græv. p. 1335.

L. SEPTIMIO. SEVERO. PIO. PERT.
IN. BELLO. PARTHICO. HASTA. PV
RA. ARMILL. II. TORQ. ET CORON,
CIVIC. ET. MVRALI. II.

equo, nisi verborum ordo sit turbatus, quod asseverare non ausim, doctissimi [a] *Schefferi* parum certa cognoscitur sententia de torquibus primo semper loco in his monumentis ante armillas hastasque puras positis: firmatur vero Illustris [b] *G. Cuperi* opinio, qua, mutata Reipublicæ forma, militibus, qui civicam meruerant non a privatis neque exercitus duce; verum ab Imperatore vel Cæsare data decernitur. Adderem insignem [c] *Fl. Vopisci* locum, nisi alia me nunc cura distineret. Dicitur Æmilius in nostro Marmore CASTRIS. DIVI. AVGVSTI. HONORIBVS. DECORATVS. Quæri potest, quales illi fuerint, armillæne, an torques, an coronæ? Cui ego quæstioni satis ut possim facere vereor. Quid tamen Imperator Augustus in ornandis militibus, qui rem optime gesserant, observare, quemque modum sequi adsueverit, hæc [d] *Suetonii* docebunt: *Dona militaria, aliquanto facilius phaleras & torques, quidquid auro argentoque constaret; quam vallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat: has quam parcissime & sine ambitione ac sæpe etiam caligatis tribuit*. Nec desiderantur in lapidibus

a Diss. de torq. §. 6. b Explicat. gemm. August. p. 219.
c In Probo c. 5. d In Aug. c. 25.

bus exempla , quibus idem ſtabilitur . Adi *Fabrettum* Inſcript. cap. v. p. 355.

PRÆFECTVS. COHORT. AVG. I.

Putares eandem eſſe cohortem, quæ σπεῖρα Σεβαςὴ, five ut *Vulgatus* vertit *cobors Auguſta* a *S. Luca* dicitur in Actis Apoſtol. c.xxvii. 1. Quod etſi negare non ſuſtineo, adfirmare nequeo: plures enim cohortes Auguſtæ fuere: PRÆFECT. COH. I. AVG. ITVREORVM in *Reineſii* claſſ. viii. 41. & CENTVR. COHOR. V. AVG in [a] *Muratorio* reperio. Illos equidem recte arbitrari opinor, qui Legionem Auguſtam a *S. Luca* indicatam negant. Nam etſi Legiones Auguſtæ plures fuerint, nulla tamen, quantum quidem ſcimus, eo tempore in Syria aut Palæſtina caſtra habuit. Inſpice [b] *Dionem Caſſium*, nec dubitabis. Σπεῖρης vocabulum, ſi quis id urgeat, Legionem non poſtulat. Μετὰ σπεῖρας χιλίαρχον dabit *Joſephus* [c], cohortem ſine controverſia intelligens, & ne a literatis monumentis deflectam, ΧΕΙΛΙΑΡΧΟΝ. ΣΠΕΙΡΗΣ. ΠΡΩΤΗΣ. ΚΙΛΙΚΩΝ, ΠΡΑΙΠΟΣΙΤΟΝ. ΤΗΣ. ΣΠΕΙΡΗΣ. ΠΡΩΤΗΣ. ΓΑΙΤΥΛΩΝ, ΕΠΑΡΧΟΝ. ΣΠΕΙΡΗΣ ΔΕΥΤΕΡΑΣ. ΦΛ. ΝΟΥΜΙΔΩΝ, ΠΡΑΙΠΟΣΙΤΟΝ. ΣΠΕΙΡΗΣ. ΔΕΥΤΕΡΑΣ.

ΦΛ.

a Theſ. novi p. DCCLXXXI. 6.   b L. LV. p. 645.
c L. II. B. Jud. cap. I. 3.

ΦΛ. ΒΕΣΣΩΝ. vetus ſaxum, apud [a] Smithum. Par ratio eſt σπείρης τῆς καλουμένης Ἰταλικῆς, cujus Centurio *Cornelius* meritiſſimo prædicatur a [b] *S. Luca*. Qui enim de *Legione* hic *Italica* cogitant, in quibus & venerandum *Wolfium* fuiſſe vehementer miror, vereor ut cauſam tenere queant. Legio Italica auctorem habuit Neronem, collocataque in Mœſia fuit inferiore, *Dione* teſte, longeque adeo a Syria: Cohors Italica ſæpe recurrit, TRIBVN. MIL. COHORT. II. ITAL. & TRIBVN. COH. I. ITAL. CIVIVM. ROM. VOLVNTARIORVM in [c] *Muratorii* Theſauro. Imo ipſa in Syria tendere ſolita fuit, uti *Fl. Mæſius L. F. Pal. Rufus* TRIB. COH. MIL. ITAL. VOLVNT. QVÆ EST IN SYRIA clariſſime declarat in [d] eadem & *Gruteri* inſcriptionum collectione. Dicet aliquis cohortes eas Legionis Auguſtæ Legioniſque Italicæ fuiſſe, cui etſi pugnent, quæ de Legionibus iſtis ſuperius enotata ſunt, velim mihi oſtendat in legionaria cohorte præfectum & tribunum. Præfecti erant cohortium ſocialium & auxiliarium, ut veriſſime [e] magnus *Grævius*: eoſdem vetuſti lapides TRIBVNOS & Notitia utriuſque Imperii nuncupare videntur, quanquam præter veterem morem, quo toti legioni ſinguli præerant, ſicuti de ſe Horatius *Quod*

a Notit. Sept. Eccleſiar. Aſ. p. 22. b Act. Apoſtol. c. x. 1. c p. MMXXXV. 1. & MLIII. d p. DCCI. 4. & Grut. p. CCCCXXXIV. 1. e Præfat. in Tom. I. Ant. Rom.

Quod mihi pareret legio Romanâ tribuno.
Nimirum præter Legiones multæ militum cohortes ex variis gentibus inſtitutæ ſunt, quæ vel una cum legionibus limitibus Romani Imperii tuendis incubabant, vel variis in locis collocatæ in præſidiis erant, ut verbis [a] *Onuphrii Panvinii* utar; quarum e numero COHORS VOLVNTARIORVM CIVIVM ROMANORVM in *Donii* claſſ. VI. 70. 185. fortaſſe fuit; forſan & cohors Auguſta atque Italica.

PRÆFECTVS. COH. II. CLASSICÆ.
Habet & hæc *cohors* haud parum difficultatis. Imperatorem Neronem e claſſe legionem conſcripſiſſe *Tacito* Hiſtor. L. I. c. 6. cupide accredimus: nullam vero ante eum fuiſſe, non item. Eruditiſſimus *Lipſius* [b] numum eſſe monuit, in quo ANT. AVG. III. VIR. R. P. C. & LEG. XVII. CLASSICA. Qui ſi genuinus eſt, ut ſane [c] videtur, fuit utique ante Neronem Legio Claſſica. Quid ante Neronem dico? Libera Republica *legionem claſſis* & *legionem ad claſſem* memoravit [d] *Livius*, quod opportune animadvertiſſe [e] *Fabrettum* video. Fuerunt & Legiones, quæ *Vegetio* L. IV. 31. teſte, apud Miſenum & Ravennam ad tutelam inferi ſuperique maris ſtabant, a ſuperioribus nonnihil diverſæ, viliores etiam, ſive illæ pro-

a Imp. Rom. c. 20. b Ad Tacit. l. c. c Confer. Fulvium Urſinum Famil. p. 31. d L. XXII. 57. & L. XXIV. 2. e Column. Trajan. c. 111. p. 84.

proprie legiones non fuerint, sive ad formam veræ legionis per cohortes suas descriptæ: neque enim ea res inter doctos convenit. LEGATVS certe LEG. CLASSICAE est inter monumenta [a] *Gudiana*. Contra ea *tribunus cohortis classicæ* in Notitia Imperii Occident. p. 144. ubi *Pancirolli* notam ne neglige. COHORTEM. II. CLASSICAM reperio in *Onuph. Panvinii* Civitate Romana c. 50. & [b] *Grutero*, qui lapidem inde sumsit: subjiciam epigraphen

Q. VIBIO. Q. F. AIMILIA
VETENIO. EQVO. SEVERO
DVCENTANO. TRIB. SEMPR. PR.
LEG. XXII. PRIM. AVG. P. F.
SEMPRON. COH. II. CLASSIS. G.
PATRONO. AEQVICVLA.
GES. TR. IVVENT. TREB.
MVTVSTÆ.

Quæ quidem, ut nunc se habet, mire prava est. Recte *Gudius* SEVIRO. DVCENARIO corrigit: & ne dubites, [c] *Fabrettum* adi, ubi, si non eadem, gemina certe vulgatur. Ibidem melius MAGISTR. IVVENTVTIS. TREB. MVTVESCÆ. Denique CENTVRIONEM CLASSICVM offert lapis [d] Thesauri novi, ubi quod vir Eruditissimus adscripsit CENTVRIONEM. CL. PR. RAV. esse in

V. Mieden in Marm. Vet. D *Rei-*

a p. CXXIV. 7. b Thesauri p. CCCCLXXXVII. 9. c Inscript. Domest. c. III. p. 119. & 217. d p. DCCCXI. 8.

Reinesio, bene habet: quamquam ipse sui dein oblitus eundem repetiit p. MMXXXII. 5. Sed hoc viro egregio in hac lapidum συναγωγῇ haud raro evenit: vide modo, ne criminosum id censeas, p. DCCCXX. I. & p. MMXXXII. 4. ut alia ne memorem. Occurrit & ille *classicus Centurio* in *Doniana* classe VI. 15. additurque explicandi causa, *ni tamen classicus appelletur quasi primæ auctoritatis dignitatisque, non vero cum relatione ad officia in navali militia*: quod mihi, pace viri doctissimi dixerim, vero consentaneum non videtur: *Centuriones classis Prætoriæ Misenatis*. *Optio classis Pr. Ravennatis* sæpe obvii in his monumentis, & *Centurio classiarius* apud [a] *Tacitum* aliud postularet. Atque ita quidem obtinuisse videmur, COHORTES CLASSICAS Romanis non fuisse insuetas. Ubi vero agere ea, cui Æmilius Secundus Præfectus fuit, solita fuerit, finire non audeo. In Syria si tetenderit, haud absurda suspicio foret ad Orontem, vicinumque mare a piratis tutandum fuisse institutam. *Seleucena* certe classis deinceps *ad auxilium purgandi Orontis, aliasque necessitates Orientis Comiti* deputabatur in L. unic. *Cod. Theodos.* de Classicis, ubi plura *Gothofredus*. Id vero prius addere debeo, quam ad alia vertor, a classicis Legionibus Cohortibusque colonias classicas nomen impetrasse: quarum e numero in Gallia Narbonensi, *Forum Julii*, in Italia *Suess-*

a Annal. L. XIV. 8.

Suessa. Tituli causam si petas, lege *Harduini* notam ad *Plinii* L. III, 4. quæque disputantur ab [a] Illustri *Spanhemio*.

IDEM. IVSSV. QVIRINI. CENSVM. FEC

Singularia hæc sunt & eximia in primis. Censum designant, cujus & [b] *S. Lucas* commeminit, a Sulpicio Quirino in Syria & Palæstina actum. Missus enim ab Imperatore Augusto est, ἀποτιμησόμενος τὰ ἐν Συρίᾳ, uti *Josephus* extremo libro XVII. Antiq. Jud. scripsit. Syriæ, relegato Archelao, Herodis Magni filio, accessio sive προσθήκη, quod supra admonitum fuit, facta erat Judæa, quare & illa eodem tempore censita fuit. Est & alius in *S. Lucæ* [c] Evangelio locus, in quo & census & Cyrenii sive Quirini hujus eminet memoria: ΑΥΤΗ. Η. ΑΠΟΓΡΑΦΗ. ΠΡΩΤΗ. ΕΓΕΝΕΤΟ. ΗΓΕΜΟΝΕΥΟΝΤΟΣ. ΤΗΣ. ΣΥΡΙΑΣ ΚΥΡΗΝΙΟΥ. Sed perdifficilis & miris criticorum atque interpretum curis exercitus. Fuerunt, sicuti antea indicavi, qui Cyrenium sive Quirinum hinc amoliebantur. Alios, nodum audacissime secantes, totum comma ex *S. Luca* eliminasse inaudio: qui si patrocinium violentissimæ conjecturæ se reperisse putarint in [d] Oratione quadam in Natal. Christi, ea recitatis ceteris omittente, errant

a Differt. IX. de usu & præst. Numism. p. 687. b Actor. Apost. c. V. 37. c C. II. v. 2. d Inter spuria Joannis Chrysostomi Opera Tomo X. p. 821.

profecto. Auctor Homiliæ rem suam negligentissime gessit, pluraque de suo imprudens admensus est, alia pro arbitrio resecuit, neque partem tantum eorum verborum, sed & totum sequens comma, damnabili exemplo. Quod genus veteribus illis Theologis, quos *Patres* appellamus, subinde contigit: id vero ne criminosius, quam verius, dictum videatur, ecce exemplum, cujus indicium debeo clarissimo Disputationis hujus *Præsidi*. In eodem operum *Jo. Chrysostomi* [a] tomo Oratio in Paralyticum exstat, cujus scriptor ex *S. Joannis* Evangelio c. v. 2. hæc recitat: Ἦν δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις κολυμβήθρα, ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊςὶ Βηθεσδὰ, πέντε στοὰς ἔχουσα. Ἐν ταύταις κατέκειτο πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων, τυφλῶν, χωλῶν, ξηρῶν: ἦν δέ τις ἄνθρωπος ἐκεῖ τριακονταοκτὼ ἔτη ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ. Quæ si obiter considerentur, putes hominem non legisse in *S. Joanne* ἐπὶ τῇ προβατικῇ. Et legit tamen, diserte ea in sequentibus declarans. Putes etiam Codicem ob oculos habuisse, in quo memorabilis Angeli descensus in eam piscinam, sive pars extrema versus tertii & quartum comma deficerent: idque tanto citius, quod tota Oratione eam Historiæ particulam vix leviter perstrinxerit. Ubi tamen ad

a p. 885. Editionis Benedictinorum.

ad diligentius examen omnia revocaveris, Oratorem iſtum negligenter tranſiliiſſe ante oculos poſita, atque omiſiſſe ſumma ſocordia, quæ ſua ætate in *S. Joanne* legebantur, comperies. Qui enim Domino Chriſto, baptiſmi auctori, & vice quidem ejus piſcinæ, ut adfirmat, inſtituti, hæc tribuit: ἐν ταύτῃ [piſcina] εἷς κάθετος καθαίρεται. Ἐκεῖ [in baptiſmi lavacro] ἀναρίθμητοι καθ' ἑκάστην ἀναγεννηθήσονται. Ἐν ταύτῃ ΑΓΓΕΛΟΝ ἀπέστειλα. ἐν ἐκείνῃ ἐγὼ ὁ τῶν ἀγγέλων ποιητὴς κατῆλθον. Is Angelum in piſcinam deſcendentem in *Joannis* Evangelio ſuo tempore fuiſſe, etſi tacet, clamat. Itaque, ut e brevi diverticulo in viam redeam, negligentia incerti, indoctique ſcriptoris nihil adjuvat male ſuſpicaces, præſertim cum vetuſti Codices ſibi conſtent, & antiquiſſimi eruditioreſque Theologi iſta ſemper lectitarint, quod de *Juſtino Martyre* [a], *Origene*, *Euſebio*, ut alios præteream, citra dubium eſt. Vide vero quid audaculos in hæc præcipitia impellat. Cyrenium negant illa tempeſtate, qua primum Dominus Jeſus, humana carne veſtitus, lucem adſpexit, Syriæ præſidem fuiſſe. Eſto. Ergo *S. Lucæ* iſta ejus ævi rebus geſtis pugnant & diſconveniunt ordine toto. Bona verba quæſo. Putâram omnia prius experiri quam vim, ſa-

D 3

a Vide hujus Homiliam xx. in Lucam, & Euſebium Demonſtrat. Evang. L. VII. 2. p. 341.

sapientem decere. Quid si enim *S. Lucas* id voluerit, descriptionem istam esse priorem priusque factam, quam Quirinus Syriæ præficeretur, præfecturamque ejus administraret? Num quid dubii supererit? Equidem non opinor. Vir sanctus Christi nostri & Apostolorum historiam ad Theophili sui bonorumque omnium usum concinnavit. In parte posteriore censum, de quo hoc marmor, designaturus erat, Judæis vehementer invisum: eum vero ne qui imprudentius cum ἀπογραφῇ, cujus tempore D. Jesus natus est, confunderent, egregie adpositis illis verbis operam dedit. Jam istam verborum esse posse & debere sententiam erudite ostendit [a] *Jo. Georg. Herwartus*. Quod ipsum postea & majore copia exsecuti sunt viri laude mea majores, [b] *Jac Perizonius*, [c] *Tako Hajo Honertus*, [d] *Joh. Henr. Majus*, hoc insuper addens: *locum ita exponi debere ipsa jubet Historia, contra quam loqui stultum est, item genius linguæ, & consensus tam eleganter quam solide doctorum*. Pulcre quidem memini, versionem istam non omnibus probari, celeberrimum [e] *J. G. Heineccium* nonnulla illi opposuisse, plura eruditissimum [f] *Salom. Deylingium*, ultro tamen fassum, constructionem illam & ver-

a Chronol. cap. cext 1. p. 189. b Dissertat. de Augustea orbis descript. p. 953. c De origine Christi ex Davide c. 14. p. 191. d Observat. Parte III. 128. e Dissertat. de genuina Natalis Christi aera in Opusc. sylloge p. 97. &c. f Dissert. de Censu Aug. Par. 1. p. 215. &c.

versionem, nec a Græcæ linguæ indole, nec a sacro stilo alienam videri. Sed quæ illi objiciunt, partim a viris doctissimis, quos nominatim appellavi, infracta & debilitata sunt, partim ita comparata, ut levia possint videri. *Deylingii* quæso hæc perpende. *Quum ex omni antiquitate nulli Ecclesiæ Doctori per tot secula ante Herwartum, novæ interpretationis auctorem, explicatio illa & constructio in mentem venerit, manifesto id esse indicio, eam a S. Lucæ verbis alienam esse*. Unde enim id illi exploratum fuit? *Tertullianus* certe Lucæ verba non ejus ad exemplum accepit, cum [a] census sub Augusto actos per Sentium Saturninum constare ait. Quin si asperum id docti viri decretum valeat, quid fiet tot egregiis observationibus, quibus nostra avorumque memoria præclara eruditione viri ex intimis Hebræorum, Arabum, Græcorumque sermonis adytis clarissimam lucem quam plurimis Veteris & Novi Testamenti locis adsperserunt, veteribus plane ignotam? Ne ipse quidem *Deylingius*, hoc genus observationum minime fugitans, id in se dictum vellet. Verum desinendum est. Id liquido apparuit, *S. Lucam* cum marmore nostro belle conspirare, nec quicquam tradere Quirini, Romanisve rebus adversum.

CENSVM. FECIT. APAMENAE. CIVIT

Variæ Asiæ in provinciis Apameæ nomine in-

a L. IV. adversus Marcionitas c. 19.

insignes fuere urbes ; dubium tamen quot numero , quinque , an sex , septemve ? Quam litem , etsi haud inutilem neque injucundam , missam debeo facere , ne rerum copia offendam . Tetigit eam Eruditissimus [a] *Falconerius*, & [b] *Salmasius* . Hæc Syriæ est , olim vicus & nomine quidem Pharnaces , si non fallit *Joannes Malala* [c] . Fallit sane cum eam a Seleuco ex nomine filiæ Apamiam , deinde Pellam nuncupatam perhibet , ut deinceps dicam . Sita erat ad Orontem in colle , quem amnis incingens una cum palude insulam pæne faciebat . *Strabonem* [d] audire operæ erit pretium . Λόφος γάρ ἐστιν ἐν πεδίῳ κοιλῷ τετειχισμένος καλῶς , ὃν ποιεῖ χερρονίζοντα ὁ Ὀρόντης , καὶ λίμνη περικειμένη μεγάλη . Hinc enim discimus , cur a Macedonibus & Cherronesus & Pella fuerit appellata . Et Pella quidem , tum quod eo nomine in Macedonia urbs esset : nam cupide suæ regionis nomina urbibus Asiæ , quod *Appianus* [e] monuit , imponebant : tum etiam quod elevatiore in colle est , quod fere πέλλης vocabulum gentis sermone indicabat , docente ex *Ulpiano* Illustri [f] *Ezechiele Spanhemio* . Chersonesus vero , quod ad insulæ ferme modum ab Oronte incingeretur .

a Differt. de numo Apamensi Tom. x. Thes. Gronovii p. 672. b Ad Solinum p. 492. c In Chronogr. p. 250. d L. 16. p. 1091. e In Syriacis p. 201. f Ad Juliani Cæsares p. 72. Vide & clariss. Præsidem ad Hieroclis Synecdemum p. 720.

tur. Discimus præterea, nihil dissentire scriptores vetustos, quum Demetrium Poliorceten in Chersoneso aut Pellæ in Syria fractis rebus asservatum perhibent. In Chersoneso [a] *Plutarchus*, Pellæ [b] *Diodorus Siculus* ait, eandem urbem indicantes *. Seleucus Nicator ea nomina obliteravit, inposito Apameæ. Memini, [c] *Oppianum* Πέλλαν ἐϋκτίκτον vocare, sed Poetæ hanc veniam nemo negat. Unde vero Apamea? *Claudius* [d] *Salmasius*, observato omnes urbes, quæ Apameæ vocantur, intra amnes situm habuisse, ex Hebræo fonte nomen repetebat, urbemque circumdatam cinctamque aquis notare: mihi id admodum accidit dubium, præsertim cum veteres Seleucidis aliisque Græcis urbium earum nomina accepta referant. Hos vero ex Hebræorum dialecto oppidis nomina voluisse facere, haud scio, an vero dissimile sit: confer tamen *Bochartum* paria fere opinatum Can. L. II. 2. &, si placet, assentire. *Johannes Malala*, ut vidimus; ex filia Seleuci, *Stephanus Byzantinus* ex ejusdem matre, alii ex Seleuci uxore appellatam referunt, ut [e] *Appianus* & *Strabo*. Seleuco certe Apama nupsit, ex Persis oriunda, auctore [f] *Plutarcho*: istud autem Apamæ nomen insolens in Oriente feminis haud fuisse [g] *Josephus*

a In Demetrio p. 914. b Excerpt. Vales. p. 263.
* Vide clariss. Præsidem ad Diodori Eclog. Tom. II. p. 561.
c Cynegetici L. II. 100. d In Solinum p. 492.
e In Syriacis p. 201. f In Demetrio p. 903. g L. XI. Ant. Jud. c. III. 5. p. 552.

phus testabitur. Aliud restat obiter tangendum. Vulgavit *Jo. Vaillantius* numum ΑΠΑΜΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΑΞΙΩ. Hanc autem, de qua sermo, [a] *Sozomenus* τὴν πρὸς τῷ Ἀξίῳ vocitat. Amnis iste *Axius* qui tandem sit, disputatur. Quid *Harduino* in mentem venerit, indicavit ipse ad *Plinii* L. V. 23. *Norisii* sententia exposita est in [b] Epochis Syro Macedonum. Equidem *Vaillantii* opinioni accedo, Orontem intelligentis, cui sane urbs accubabat. Atque hæc propterea quoque probabilior, quod in hæc tempora Orontem Syri atque Arabes eodem ferme titulo designent, sicuti erudite celeberrimus *Albertus Schultens* [c] ex *Abulfeda* patefecit. Eandem spectant numi [d] Musei *Theupolitani*, quibus ΙΕΡΑ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟϹ & ΙΕΡΑ ΚΑΙ ΑϹΥΛΟϹ inscripta est, atque alius longe excellentissimus, diluvii, uti nonnulli arbitrantur, Noachici typum exhibens, de quo multa *Falconerius* singulari Dissertatione, cui tamen apte jungetur *Schurzfleischii* Disputatio de Philippis §. VIII. Nunc, si animus ferret, notari posset lapsus *Thomæ de Pinedo*, qui grandem errorem inpegit *Ammiano* [e] *Marcellino*, confundenti, ut errans ipse censuit, hanc Apameam Syriæ, & Apamiam in Mesene. Ille enim recte utram-

a Hist. Eccles. L. VII. 15. b Dissert. II. cap. II. p. 84. c In Indic. post vit. Saladini voc. Fluv. Orontes. d p. 1249. & 1250. e L. XXIII. 6.

utramque diſtinxit. Poſſet etiam alius *Manutii* [a]; ſed reprimo me. In noſtro lapide *Apamena* eſt *Civitas*. Alibi *Apamenii* & *Apamienſes*, quorum illud in *Juſtino* [b] damnat *Tanaquil Faber*, hoc in [c] *Tacito* ad *Stephanum* ſuum *Berkelius*. PRAEF. ſane COH. I. APAMENAE habet [d] *Muratorius*, APAMENSEM quoque, niſi conjectura falſus ſit. Verba hæc ſunt.

D. M.
AVR. IVSTAE. COIVGI
KAR. NAPANN. BENEM.
FECIT. C. ARGILIVS. EXS
VPERATVS. MIL. COH.
VIII. PRAET. ET. FILI. EIVS
EXSVPERANTIANVS
ET. EXSVPERIVS

In quorum ſecundo verſu mendum cubare Vir doctiſſimus, & pro NAPANN. *Natione Apamenſi* legi poſſe [e] cenſet: cui ego de menda nihil refragabor, de remedio dubito. Rectius erit NAPANN. ſive *natione Pannoniæ*, quod in his monumentis haud ſane inuſitatum. Sic in hoc ipſo [f] Theſauro. D. M. AVRELIO. FESTIANO. NAT. PAN. VET. AVG. & [g] L. TERENTIO. SABINO. NAT. PANNONIO. apud *Fabrettum* [h] D. M. S. AVRELIA.

a In Cicer. L. 11. Epiſt. 17. Famil. b L. XXXIX. 1. c Annal. XII. 58. d Theſ. nov. p. MLIII. e DCCLXXXVIII. 6. f p. DCCXC. 9. g p. DCCCLVII. 5. h Inſcript. p. 164.

LIA. MARCIA. NA. CIVES. PANNONIA. & *Donium* claſ. XIII. 8. NA. CILIX. Quibus ſi qui paulo moroſior adſentire recuſet, adeat *Raph. Fabrettum*, eum ipſum lapidem prorſus hoc modo [a] repræſentantem. Verum abſolvo Virum doctiſſimum, licet *Fabretti* oblitum, hæc parili ratione in Addendis, quod ſerius animadverti, emendantem.

CENSVM. FECIT. MILLIVM. HOMIN. CIVIVM. CXVII.

Ad hæc adhæreſco. Suſpicor quidem non ſolius urbis Apameæ incolas cenſitos eſſe, ſed quotquot ad eam civitatem pertinebant, quia CENSVS. APAMENAE. CIVITATIS. factus dicitur. Prope Apameam erat vicus amplus hominumque multitudine conſpiciendus, cui *Nicertæ* nomen in *Theodoreti* [b] Hiſtor. Religioſa. Nec longe aberat oppidum Seleucobelus, a *Theophane* ἐν τῇ Ἀπαμέων χώρᾳ, ut clariſſimus Præſes ad [c] *Hieroclem* docuit, collocatum. Nec alia, uti *Idem* mihi perſuaſit, ſententia *Stephani* fuit, nunc quidem ſcribentis, Σελευκόβηλος, πόλις Συρίας πλησίον. Sed abſurde. Fuit enim iſta urbs in media Syria, non prope Syriam. Ipſe *Stephanus* paulo ante poſuerat, Σέλευκος, πόλις περὶ τῇ ἐν Συρίᾳ Ἀπαμείᾳ, non aliam, ut conjicio, deſignans. Melius ergo fue-

a Inſcript. Domeſt. p. 138. N. 130. b C. 3. p. 785. c Synecdemi p. 712.

fuerit, πόλις Συρίας, Απαμείας πλησίον. Ita certe fibi conftabit Ethnicographus, nec adverfos deinceps habebit ceteros fcriptores, Seleucum five Seleucobelum non prope Syriam, fed in ea juxta Apameam ftatuentes, uti omnium clariffime [a] *Theodoretus*. Habuerint vero Apamea, Nicertæ, Seleucobelus, aliique agri Apameni vici ingentem hominum numerum: eccui vero videbitur fimile CIVIVM. ROMAN, id enim, ni erro, verba volunt, millia ibi fuiffe CXVII.? Præfertim cum Imperator Auguftus *Civitatem Romanam parciffime dederit, neque vulgari ejus honorem* paffus fit, referente [b] *Suetonio*. Non quidem ignoro, M. Antonium tanquam ex teftamento Julli Cæfaris civitatem non folum fingulis, fed nationibus & provinciis univerfis dediffe [c] perhiberi. At Apamenos, in illis fuiffe, quod quidem recordor, legere non memini. Ut libere itaque animi fer:entiam profitear, opinor in marmore aliquid deficere, fcriptumque fuiffe MILLIVM. HOMIN. L., aut fimile quiddam, CIVIVM. CXVII. Melius certiufque fi quis conjecerit, vatem eum perhibebo optimum.

IDEM. IVSSV. QVIRINI. ADVERSVS. ITVREOS. IN. LIBANO. MONTE. CASTELLVM. EORVM. CEPIT

Caftellum Ituræorum, quod Æmilius occupavit,

a Hift. Religiofæ c. 3. p. 793. b In Augufto c. 40. c Vide Cicer. Philip. I. c. 10.

vit, in Libano fuisse perhibetur, quod cum *Strabone* probe congruit, hæc de illis [a] referente: τὰ μὲν οὖν ὀρεινὰ, memoraverat paulo ante de Libano, ἔχουσι πάντα Ἰτουραῖοι καὶ Ἄραβες, κακοῦργοι πάντες. Alioqui sedes Ituræorum satis est controversa. *S. Lucas* [b] Philippum tetrarcham vocat τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος χώρας. *Josephus* eidem Philippo, Herodis filio, Batanæam, Trachonitidem, & Auranitidem contribuit, Ituræa neglecta, Antiq. Jud. XVII. 13. 4. Hinc conclusione quadam conficiunt doctissimi viri [c] *Christ. Cellarius*, & [d] *Hadr. Relandus* Auranitidem & Ituræam eandem fuisse: neque ego repugno, a Libano tamen monte non admodum removendos Ituræos ob hoc marmor & *Strabonem* arbitratus. Habet & *Plinius* L. V. 23. *Ituræorum gentem & qui ex iis Bætarreni vocantur*. Qui quidem *Bætarreni*, si paulo notiores essent, Ituræorum sedem possent quodammodo illustrare. Fuit quidem in Palæstina *Bætarrus* inter Cæsaream & Diospolim, nihil admodum juvans, cum & vocabuli scriptura [e] sit dubia, & Ituræi longissime inde afuerint. Fuit in Palæstina tertia vicus amplus Βαιταρροῦς, cujus incolæ, *Stephano* indice, Βαιταρρηνοί. Atque hos admoverunt Viri Do-

a Geogr. L. XVI. p. 1096. b Evangelii c. III. v. 1.
c Geograph. Ant. L. III. 1. 3. p. 529. d Palæst. L. I. 22.
e Vide Itinerar. Antonini p. 150.

Docti ad *Plinium* illustrandum, haud scio an prave. Palæstina tertia sub Christianis principibus dicta est ea regio, quæ olim Arabia Petræa: hinc & urbes Palæstinæ ejus in *Hierocle* [a] & Notitiis Ecclesiasticis pleræque omnes pertinuerunt olim ad Arabiam. Arabia vero Petræa longissimo terræ intervallo a monte Libano sejuncta erat, Ituræorumque gente, proinde & illi *Bætarreni*. Scripti *Plinii* libri, sicuti *Dalecampius* & *Harduinus* monuerunt, vocem aliter atque aliter edunt. E quorum discordia si *Batanæos* instaurare liceret, res bene fortasse procederet, opportunos istic certe loci, a *Plinio*, quod merito alioqui mireris, nusquam alibi memoratos. Sed in conjectura istud deputo, nemini eam obtrudens. Transierunt olim Ituræi in sacra Judæorum, nec deposuerant tamen pravos mores & scelestum illud rapiendi studium; κακοῦργοι πάντες, inquit *Strabo*, sive nequam & malefici: quod eorum institutum fortasse perennavit, quoniam loca montana & sterilia incolebant, unde & *Apulejo* dicuntur [b] *frugum pauperes*. Magnus quidem Pompejus eos in ordinem coegerat, uti præter *Strabonem* & *Appianum* docet [c] *Paulus Orosius*, sed remoto metu rediisse videtur pristinus vitæ amor. Hoc tempore Philippo parebant, quo aut non reprimente rapinas, aut impedito, Æmilius jussu Quirini

a Synecdemi p. 721, ibique Clar. Præf. b In Floridis p. 342. c Libro VI. 6. cum nota Fabricii.

rini eos compescuit. Philippo mortuo contributi sunt a Caligula Sohemo, post cujus fata Ituræa pars & accessio fuit [a] Syriæ. Quia vero sagittis Ituræi dexterrime utebantur, frequens eorum inter Romanorum auxilia mentio solet fieri: PRAEF. COH. I. AVG. ITVREOR. est in *Reinesii* class. VIII. 41. DECVRIO. ALAE. AVGVSTAE. ITVREORVM in Thesauro [b] *Gruteri*: Præterea *Saggittarii Ituræi* sunt in *Vopisci* Aureliano c. 11. & *cohors prima Ityreorum* in Imp. Occidentalis [c] Notitia. Atque hæc de Itureis: De vocis scriptura utrum *Ituræi*, *Ityrei*, *Itouræi*, an *Iturei* præstet, nihil addo. Videri possunt viri docti ad *Virgilii* Georg. II. 448. *Cl. Dausquius* Orthographiæ p. 170.

ET. ANTE. MILITIAM. PRAEFECIT. FABRVM.

Obscurum sibi esse ait *Muratorius*, quid velint illa ET ANTE MILITIAM PRAEFECIT FABRVM? Mihi plana & expedita videntur, si PRAEFECTVS FABRVM legatur, quo & scriptum fuisse modo minime dubito. *Habebat legio*, verba sunt *Vegetii* L. II. de Re Militari c. XI. *fabros lignarios, instructores, carpentarios, ferrarios, pictores, reliquosque artifices ad hybernorum ædificia fabricanda, ad machinas, turres ligneas, ceteraque, quibus vel expugnantur adversariorum civitates, vel defendun-* tur

a Vide Taciti Annal. XII. 23. b p. DXIX. 5.
c P. 108. cum Pancirolli scholio.

tur propriæ præparatos. Tum poſt pauca: *Horum judex erat proprius præfectus fabrorum*. Ex quibus, quod & aliunde conſtabit, ſingulos legionibus fuiſse fabrum præfectos, quorum curæ & diſpoſitioni reliqui fabri paruerint, jure colligas. Idem patet ex hoc monumento veteri *Reineſiano*[a]

C. ANCHARIVS. C. L. EVTYCHVS. FABER
FERRARIVS. LEG. XX. GEMINAE
L. ANCHARIVS. C. F. PHILOSTORGVS
FABER. LIGNARIVS. MACHIN. BELL.
Q. ANCHARIVS. L. F. NICOSTRATVS FAB.
ET. PRAEF. FABR. LEG. XX. FECER.

Probe ſcio, doctiſſimum *P. Manutium*[b] alia fuiſſe opinione: monuit ille, & vere, *Ciceronem* in Cilicia duas habuiſse legiones: memorare tamen unum duntaxat Q. Leptam præfectum fabrum. Præterea C. Julium Cæſarem familiariſſimum Cornelio Balbo, & Prætorem & Conſulem illi præfecturam fabrum detuliſse: eum vero, ſi quot legiones in exercitu, totidem præfecti fabrum fuiſsent, haud valde fuiſse honeſtatum. Ego vero vehementer vereor, ut hæc apta ſint ad convellendas lapidum ἐπιγραφὰς, quæ ſingulis legionibus præfectum fabrum inponunt: ex Ciceronis certe ſilentio nihil admodum in contrarium confici poteſt. Cornelio autem Balbo, viro mire am-

a Claſſ. VIII. 65. b Ad Ciceron. L. II. Epiſt. 17. Familiar.

bitioſo, quidvis primis initiis ſatis erat, ut præter ceteros emineret. Utcunque tandem de illo ſtatuatur, PRAEF. FABR. LEG. II. AVG. eſt in *Donii* claſs. VI. 80. PRAEF. FABR. LEG. III. ITALICAE apud *Fabrettum* [a], & PRAEF. FABR. LEG. III. PARTH. p. 177. tum. pag. 668. PRAEF. FABR. LEG. III. MACEDON. præterea in *Sponio* [b] PRAEF. FABR. LEG. VI. AVG. His addere ſi velim præfectos fabrum ſingulis legionibus inpoſitos, quos plurimos lapides *Gudiani*, ex *Ligorio* deſcripti, repræſentant, numero obtunderem faſtidiumque moverem. Potius addam, in *Muratorii* [c] Theſauro Novo reperiri, PRÆF. FABR. IMP. CAES. NERVAE TRAIANI, ita fortaſſe dictum, quod una cum Trajano in caſtra tetenderit, aut ejus beneficio hunc honoris gradum debuerit, aut præ ceteris probatus fuerit, ut C. Vellejus Cn. Pompeii, Marcique Bruti, & Ti. Neronis Præfectus fabrum in [d] *Vellejo Paterculo*. Quo quidem modo ſi acceperis marmoris verba [e] ejuſdem Theſauri:

MA. AEMILIO. AVR. PVB. PROCVLO
PRAEF. FABR. MA. LEPIDI. AVG.
PROC. SACRVM

haud opus erit, ut cum doctiſſimo viro LEPIDO aut LEPIDIO refingas. Eſt & aliud in eo

a Inſcriptionum Domeſt. c. 3. p. 181. n. 378. vide & n. 381. b Miſcellaneorum p. 60. c p. DCCXVII. 5. & MMXXIII. 3. d L. II. 76. e p. DCLXIX.

eo lapide vitiosum , quod obiter eximam. Deesse videtur Filii nota , neque sanum præsto AVR. vocabulum : id enim gentile , non prænomen , cujusmodi ad patrem designandum hic requiritur . Fuisse autumo , M. AEMILIO. AVL. F. PVB. PROCVLO. h. e. *Auli Filio Publilia Proculo* ; namque ita mos ferebat , ut & patris prænomen memoraretur , & tribus , in qua censitus erat . Quam rem exemplis non probabo , quæ apud *Ciceronem* , *Josephum* [*] , aliosque scriptores atque in lapidibus numerum pæne excedunt . Vide tamen , si tanti est , *Panvinium* [a] & *Manutium* [b] . Verum in viam . Fuerunt & in municipiis ac coloniis collegia fabrorum ad incendia arcenda , operaque publica reficienda & sarta tecta ædium sacrarum ac communium locorum tuenda , ut Imperator Trajanus [c] indicat , quibus suos etiam fuisse præfectos lapides testantur [d] plures . Sed longior sum , quam proposueram ; de fabrum collegiis si quis plura desideret , *Fontaninum* consulat Antiquitat. Hortæ L. II. 5.

DELATVS. A. DVOBVS. COS. AD AERARIVM.

Quid hoc sit ex [e] *Cicerone* cognoscimus , cujus tamen verba , cum erroris ansam multis præbuerint , non alienum erit adjungere , quæ

 vir

* Antiq. Jud. L. XIV. 10.

a Civitat. Roman. cap. 50. & 51. b Ad Ciceron. L. VIII. Ep. 8. Fam. c Epist. Plinii L. X. 42. d Confer. Reinesium class. II. 18. Donium class. V. 99. Fabrettum p. 264. 409. 560. e L. V. Epist. 20. Familiar.

vir magnus *Joan. Fred. Gronovius* [a] commentatus est. *Dicebat illa* [omnis antiquitas] deferri in beneficiis ad ærarium: *Sed & hoc non erat emolumentum, verum merus honor & commendatio illarum personarum apud populum Romanum, profutura illis vel ad majora ornamenta ab Republica consequenda, vel ad pericula, si quæ exstitissent, sublevanda, tanquam olim meritis, ut judicio & beneficio principum honestarentur. Sic Archiam in beneficiis ad ærarium delatum ab Lucullo Proprætore & Consule, sic L. Cornelium Balbum, a Pompejo in illorum defensione jactat Cicero.* Hactenus *Gronovius*. Loca *Ciceronis*, quæ innuit, sunt in Oratione pro Archia c. 5. & pro C. Balbo c. 28. Posteriorem exscribere libet, huic nostro fere geminum: *In summa amicorum copia cum familiarissimis ejus* [Cæsaris] *est adæquatus: in prætura, in consulatu PRAEFECTVM FABRVM DETVLIT*. Posset & heic quæri, sintne BENEFICIARII, quorum in saxis atque apud scriptores [b] haud infrequens memoria, iidem ac *delati in beneficiis ad ærarium*? Videtur Vir summus *Isaacus Casaubonus* ab hac [c] opinione non prorsus alienus fuisse. At politissimum *Grævium* si audis [d], in beneficiis ad ærarium deferebantur comites magistratuum ex cohorte Prætoria, non ut *beneficiarii*

f De Pecunia vetere L. III. 17. p. 253. b Vide Lipsium in Taciti Hist. L. IV. 48. & C. Rittershusium ad Plinii L. X. Ep. 42. c Ad Suetonii Tiber. c. 12. d Præfatione in Tomum. I. Antiq. Roman.

ciarii milites crearentur, sed honoris & commendationis causa. *Beneficiarii* autem milites dicebantur, qui gratia aut suffragatione ducis, legati, tribuni legionis, centurionis provehebantur in locum honestum in castris, nulla habita eorum ratione, qui in beneficiis ad ærarium delati erant a Proconsulibus, aut Proprætoribus: cui ego adstipulari non gravabor. Stant certe ab his partibus plerique scriptores, a *Lipsio* conducti, firmantque easdem lapides, in quis sæpe [a] BENEFICIARIVS. TRIBVNI, BENEF. COS., BENEFICIARIVS.PRAEF.PRAETORIO. aut BF. CONS. ut DIDIVS IVLIANVS in veteri monumento, de quo præter *Apianum* Inscript. German. pag. CCCCLXI. *Joan. Heroldus* de Station. Legion. Germ. c. 7. nonnihil tamen ab *Apiano* discrepans. Verum hoc obiter, & quasi extrinsecus. Id adjungere intempestivum non erit, & *Modestinum* [b] memorasse *tribunos militum, præfectos & comites legatorum, qui ad ærarium, aut in commentarium principis delati sunt*: disputarique [c] ab interpretibus, sintne illis salaria cibariaque ex ærario præbita? quæ illis citra dubium apparitoribus fuerunt data, quos *Curatores aquarum* ad ærarium detulissent: sic enim in [d] Senatusconsulto. EOS DIEBVS. X. PROXIMIS. QVIBVS.

a Vide Reinesii Epist. XXIII. ad Rupertum p. 82. b L. 23. Pand. ex quib. causs. majores. c Vide Brissonium Antiquit. Selectar. L. IV. 14. & P. Burgium Elector. c. 9. d Apud Frontinum de aquæductibus p. 179. Edit. Polcni.

BVS. SC. FACTVM. ESSET. AD. AERARIVM. DEFERRENT. QVIQVE. ITA. DELATI. ESSENT. IIS. PRAETORES. AERARII. MERCEDES. CIBARIA. QVANTA. PRAEFECTI. FRVMENTO. DANDO. DARE. DEFERRE. SOLENT. ANNVA. DARENT. Adde *Cujacium* L. XII. Obſervation. c. 33.

ET. IN. COLONIA. QVAESTOR.

Doleo Coloniæ, in qua honoribus his functus eſt Æmilius, nomen adſcriptum haud eſſe, neque etiam conſtare, unde Venetias, ubi cum maxime aſſervari lapidem *Muratorius* teſtatur, hoc monumentum translatum fuerit. QVAESTOR, ut alibi in coloniis municipiiſque curam pecuniæ redituumque Reipublicæ agebat, unde QVAESTOR. ARK. PVBLICAE apud *Muratorium* p. DCLXXXI. n. 2. & QVAESTOR. ARCAE. REIP. NEPESINOR. apud *Fabrettum* [a]. Cetera, nam in his moram nectere nolo, explicabunt *Rupertus* ad Pomponium p. 118. & *A. Campianus* de poteſt & Juriſd. magiſtr. 199.

AEDILIS II.

Et hic mihi otium fecit Ampl. *Everard. Otto* ſingulari Commentario de Ædilibus. Tantum monebo Pontificatum ſæpe Ædilitati adjungi, veluti in [b] T. FLAVIO. L. F. STEL. CIMBRO. PONTIF. AED. BIS. IIII. VIR. I. D. & T.

a Inſcript. Domeſt. p. 745. b Inſcr. Fabretti p. 664. & ſeq.

& T. MARIO. AED. IIII. VIR.I. D. PONT. pluribusque aliis.

DVVMVIR. II.

Amplissima Duumvirum in coloniis dignitas erat, quam propterea ne Senatores quidem Romani detrectabant. Pompejum Magnum, gestis rebus ac triumphis illustrem, Capuæ isto honoris ornamento conspicuum fuisse [a], *Cicero* indicat. Tiberius, quantumvis Cæsar, in Corinthiorum numis II. VIR. [b] signatur. Ipse Hadrianus, jam Augustus, quod opportune monuit Vir doctus, *per Latina oppida Dictator, & ædilis, & duumvir fuit*, teste *Spartiano* in ejus vita c. 19. Quod ne miremur facit excellens duumvirum auctoritas: præerant coloniæ, causas ad Decuriones referebant, eorumque sententiam rogabant, ut alia, de quibus [c] *Fontaninus*, prætercam. Jam quod Illustris *Ez. Spanhemius* [d] animadvertit *in antiquis auctorum & lapidum monumentis legi subinde eosdem Civitatum vel Coloniarum* Duumvi-os & Sacerdotes, *ut in Actis Cæciliani Didymus quidam* Sacerdos Jovis opt. Max. *& simul* Duumvir Coloniæ Carthaginiensium *dicitur*: ic & in Æmilio valet, duumviro pariter & Pontifice. Jungerem his AED. DVVMVIR. PONTIFICEM. ex *Muratorii* [e] συναγωγῇ, nisi prolata abunde forent.

a Oration. post reditum in Senatum c. 11. b Vaillant Num. Coloniar. p. 74. c Antiq. Hortæ L. 1. c. 2. p. 34. d Diss. XII. de usu & præst. Num. p. 416. e Thes. novi p. DCLXXVI. 5. vide & p. C. n. 5.

IBI. POSITI. SVNT. Q AEMILIVS.
Q. F. PAL. SECVNDVS. F.

In his nihil admodum obſcuri: Namque HIC. SITI. IBI. POSITI. SVNT in his monumentis toties iterantur, ut nemini moleſtiam creare poſſint. Morari tamen poteſt, me quidem certe ſuſpenſum habuit, litera iſta F, neque nunc decernere auſim, quid ea velit. Conjecturam adferam, ſi non veram, haud tamen, uti mihi blandior, abſurdam. Suſpicor P. fuiſſe & *Patronum* indicare, ut in[a] *Gruteriana*, P. C. *patronus coloniæ*; & P. C. CORIARIORVM *patronus corporis*: apud Reineſium cl. XII. n. CXIV. P. C. TEATINORVM *patronus coloniæ*: & P. C. *Patronus Coloniæ* in *Val. Probi** libello de Not. Roman. Quæ quidem emendatio, non magni ſane momenti, confirmanda tamen exemplis literarum P & F. confuſarum apud *Reineſium*** & *Gruterum*, inde robur accipit, quod ſtatim ſequatur AEMILIA LIBERTA, cui *patronum* bene adjungi quiſque novit: ut vero addam ſæpe ſollemne fuiſſe, ut patroni libertis libertabuſque, & hi viciſſim jus inferendi in ſuum monumentum darent, ſupervacaneum arbitror: in marmorum epigrammatibus nihil frequentius[b].

H. M.

a p. CCCCXLVI. 2. & p. CCLXXXIII, 2.
* Inter Auctor. Lat. Ling. Dion. Gothofredi p. 1470.
** Vide Inſc. cl. 12. n. LXXIV.
b Vide Raph. Fabrettum Inſcript. Domeſt. p. 148.

H. M. AMPLIVS. H. N. S.

Usitatissima formula, *hoc monumentum heredem non sequitur*, sive *sequetur*, quando heres jure inferendi in sepulcrum privabatur. Sic de extero herede apud [a] *Cæsarem Malvasiam*, HOC MONVMENTVM. EXT. HERED. NON. SEQVITVR. NEC. HEREDES. MONVMENTVM. & de herede ibidem p. 332 IN. HOC. MONVMENTVM. HEREDI. MEO. IVS. INFERENDI. PRAETER. ME. NON. DO. CASSIAE. VXORI. MEAE. DO. Quod ipsum & alia sæpe formula cavebant, & hac quidem:

SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE.
POSTERISQVE. EOR. ET. VSQ. AD.
TERCIVM. CREDAS. QVI. LEGIS.
H. M. H. N. TRANS.

in iisdem Felsin. Marm. c. IX. p. 509. alia apud [b] *Fabrettum*, H. MONVMENTVM. HERED. NON. PERTIN. & contractius p. 95. n. 210. H. M. A. H. N. P. Græci ad hunc modum ΤΟΙΣ. ΔΕ. ΚΛΗΡΟΝΟΜΟΙΣ. ΜΟΥ. ΟΥΚ. ΕΠΑΚΟΛΟΥΘΗΣΕΙ. ΤΟΥΤΟ. ΤΟ. ΜΝΗΜΕΙΟΝ. inter [c] Oxoniensia. Contra ea si heredi sepulcri usum concederent [d] HOC. MONVMENTVM.

a Marm. Felsin. p. 241. & 369. & p. 85. apud Fabrett.
b Inscript. Dom. p. 94. & Kirchmannus de Funer. III. 19.
c P. 273. ubi vide Humfr. Prideaux p. 315. d Vide Fabretti p. 91. & p. 151. & Joan. Vignolium Inscr. Select. p. 248. & 266.

TVM. HEREDEM. SEQVITVR., aut FECIT. SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM. ET. HEREDI. MEO. Quo utroque in lapide, ne id nimis properando negligam, singulare est, heredes & libertos libertasque admitti ad idem sepulcri monumentum contra [a] *Vlpiani* diserta verba: *Liberti autem nec sepeliri, nec alios inferre poterunt, nisi heredes extiterint patrono: quamvis quidam inscripserint se MONVMENTVM. SIBI. LIBERTISQVE fecisse, & ita Papinianus respondit & sepissime idem constitutum est.* In quæ & arietant plures [b] alii lapides, libertos ab heredibus clarissime distinguentes, illis tamen jus aditus inferendique in sepulcrum permittentes, his auferentes; in aliis utrique hoc jure gaudent. Quem nodum cum dudum tollere adgressi sint doctissimi viri [c] *B. Brissonius*, & [d] *Raph. Fabrettus*, ei rei me cum maxime non immiscebo, ne de termino moto experiantur, ad quorum forum hæc res pertinet: nec propterea etiam formulas illustrabo, HVIC. MONVMENTO. DOLVS. MALVS. ABESTO. apud [e] *Jo. Vignolium*, HVIVS. MONVMENTI. DOLVS. MAL. ABESTO. ET IVRISCONSVLTVS in æterno [f] *Gruteri* opere, quibus religioni sepulcrorum atque ultimæ volun-

a Lex 6. Dig. de relig. & sumtib. funer. b Vide Tobiæ Gutberlethi Animadv. ad Inscription. Smyrn. p. 125. & seq. c Select. Antiq. L. 11. 14. d Inscript. Dom. p. 148. e Selectar. Inscript. p. 269. f Thesauri p. DCLXII. 5.

luntati, etsi opera sæpe frustranea, consulere conabantur. Tantum subjungam duo genera privatorum sepulcrorum, *familiare*, & *hereditarium* enumerasse *Cajum* [a], hoc Q. Æmilii hereditarium non videri, sed familiare ob Legem 13. Cod. de Relig.

Atque ita absoluta marmoris explicatione, finem possem facere: libet tamen, quoniam a nobilissima urbe exorsus sum; duas e Græcis attingere, olim longe omnium celeberrimas. Pertinet ad Delphos hoc [b] epigramma:

ΘΕΟΙ
ΕΠΙ ΑΡΙΣΤΑΓΟΡΑ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΕΝ ΔΕΛΦΟΙΣ
ΠΥΛΑΙΑΣ ΗΡΙΝΗΣ ΙΕΡΟΜΝΗΜΟΝΟΣ ΤΩΝ ΑΙΤΩΛΩΝ
ΠΟΛΕΜΑΡΧΟΥ ΑΛΕΞΑΜΕΝΟΥ ΔΑΜΩΝΟΣ.

Muratorius vertebat: *sub Aristagora Archonte in Delphis Pilæa Herines Hieromnemone Ætolorum Duce Belli Alexameno F. Damonis*. Nimis, uti videtur, properanter: nam ut nihil dicam de *Polemarcho*, qui solemnis quidam in magistratu agentium apud Athenienses & Græcorum alios, titulus fuit, quid tandem erit *Pilæa Herines*? Nemo certe intellexerit, nisi Pylaicum Græcorum conventum in auxilium arcessiverit. Ad Thermopylas, ut paucis absolvam, convenire adsueverant XII. gentium legati, de salute Græciæ & templi Delphici deliberaturi: quæ Thermopylarum angustiæ cum & πύλαι dicerentur, inde ΠΥΛΑΙΑ legatorum iste consessus. Celebrabatur bis

a In L. 5. Dig. de Relig. b Thesauri Novi p. DLXX. 3.

bis quotannis, ineunte vere & autumno. *Ulpianus*[a]: τὴν σύνοδον ΠΥΛΑΙΑΝ ἐκάλουν, τὴν μὲν ἐαρινὴν, τὴν δὲ μετοπωρινήν. Cui junge, si tanti videbitur[b], *Æschinem* & qui eruditissime in his versatus, *H. Prideaux*[c]. verte itaque *Pylæa verna*, sive *verno Pylaico conventu*: neque enim probatione eget, ἠρινὸν, *vernum* Latinis esse. *Hesychius*, Ἠρινὸς, ἐαρινός. Porro eadem inscriptio a[d] *Grutero* bis erat publicata, neque adeo debuerat iterari, nisi addita ejus rei causa; quæ quidem sumi potuerat e paullo correctiore ejus scriptura. In *Grutero* ΠΥΛΑΙΑΣ ΗΣΙΗΣ utrobique, & priore loco ΑΙΥΩΛΩΝ, in nova certe Editione, legitur. ΗΣΙΗΣ mutaverat Ill. *Scaliger* in ΟΥΣΗΣ, quod tamen longe melius ΗΡΙΝΗΣ ab eruditissimo *Gudio* corrigitur ex schedis *Cyriaci* Anconitani, e quibus & in *Muratorio* ΙΕΡΟΜΝΗΜΟΝΕΥΟΝΤΩΝ refingere poteris, si justum censueris. Hæc de Delphis. Athenas nunc abibimus, juxta quas in arcu marmoreo lectitatum fuisse[e] perhibent, & ab una quidem parte:

ΗΔΕΙΣ ΑΘΗΝΑΙ ΘΗΣΕΩΣ Η ΠΡΙΝ ΠΟΛΙΣ.

in altera vero,

ΗΔΕΙΣ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΚΑΙ ΟΥΧΙ ΘΗΣΕΩΣ ΠΟΛΙΣ

Qui quidem Jambi Latini sunt ita facti, *Jucundæ*

a In Demosthen. Orat. de pace p. 43. b In Ctesiphont. p. 69. 70. c Marmor. Oxoniens. p. 126. d Thesauri p. CXXIX. 15. & MXXI. 7. e Thesauri novi p. MXXX.

dæ Athenæ Thesei antea Civitas: Jucundæ Hadriani &c. posterioris tamen versio cum minus belle procederet, additum a doctissimo viro fuit: *In secundo versu repetendum videtur (nisi ἡδεῖς sit ab ἡδέω)* ΑΘΗΝΑΙ, *id est Athenæ*. Quæ ego addita nollem. Rectius in eodem, ut versui modulus constaret, ΚΟΥΧΙ scripsisset, atque utriusque in principio ΑΙ Δ ΕΙΣ ΑΘΗΝΑΙ *hæ sunt Athenæ Thesei quondam urbs*; ΑΙ Δ ΕΙΣ ΑΔΡΙΑΝΟΥ *hæ sunt Athenæ Hadriani, nequaquam Thesei urbs*: quomodo *Gruterus* ex iisdem *Cyriaci*, ex quibus & *Muratorius*, schedis [a] pulcerrime exscripsit. Testari enim Athenienses beneficium voluerunt, quod Imperatori Hadriano, urbis suæ instauratori, debebant; quam rem cum [b] *Jo. Meursius* copiose explicitam dederit, equidem manum de tabula.

JO. CON-

a Thes. p. MLXXVIII. 1. b De Fortuna Atheniensium c. x. p. 1748. Tom. v. Thes. Gronovii.

JO. CONRADI STIGLIZII
DE
SERVITUTE POENAE
S. PAULLI APOSTOLI
LIBER SINGULARIS.

DE SERVITUTE POENAE
S. PAULLI APOSTOLI
Liber singularis.

I.
Antelogium.

Ingulis fere vocibus in monimentis antiquis, tam sacris quam profanis, quæ admiranda est utrorumque prærogativa, tanta profecto inest fœcunditas, ut Grammaticis opem ferentibus, integra orbi litterato pepererint, & in posterum pariturae sint Commentaria. Graviditatem istam adferunt, cum optima quæquæ scientiarum genera, tum in primis, quæ iis eminet, Juris scientia antiquaria. Insignem hujus nervum ab interpretatione memoriarum veteris Græciæ Latiique disjungens, eas, facto divortio, quasi in viduitate

tate collocat. Jurisprudentia vero veterum cultiorum gentium, maxime Quiritium, felici connubio conjuncta cum reliqua antiquitate erudita, in *Epistola s. Paulli ad Romanos*, nobilissimo illo Antiquitatis monimento ex *Foro Romano* evolvendo interpretandoque periculum facere cœpi. Rationem istam Lectori probaturus, ad ordinem priorum laudatæ Epistolæ verborum, specimen primum exhibeo de *Servitute pœnæ*, quam in Paullum, ἀσεβείας h. e. *læsarum religionum violataque majestatis*, ut loquitur TACITUS [a], Philippis damnatum, redundasse, eodemque servitutis genere propterea, in limine suæ ad Romanos Epistolæ, paullo post gloriatum esse, demonstrabo.

I I.

Religiones veteris Imperii Romani firmamentum.

Flagitia dominationis suæ in Romanos Romulus occultare studens, superstitionis velamentum, exemplo Græcorum, teste PLUTARCHO [b], callide adhibuit. Quod

 quum

a TACITUS, III. Annal. 24.
b PLUTARCHO, de gen. Socrat, c. 13.

quum deceſſori ſuo aliquantiſper ex ſententia ſucceſſiſſe animadverteret Numa Pompilius, religiones Populi Romani, vel maximam ſaltim earum partem, nonniſi ad terriculamentum & coercitionem vulgi apprime rudis, atque adeo ad firmamentum ipſius tyrannidis comparavit diſpoſuitque fallaciter. Fallaciarum & fraudum iſtarum veſtigia ubique in Livio exſtant, cerimoniarum quidem veteris Romæ publicarum ſcriptore cunctorum facile principe, ſed politica earum artificia muſſitante. Quo factum eſt, ut politicis veterum Romanorum ſacris perſonam aliquantum detrahere cœperit Jo. Tolandus [a], cœptum ſi perſecutus eſſet, de civili Romanorum philoſophia, Muſiſque cultioribus, quibus ſacra Romæ antiquæ continentur, eo melius promeruiſſet, quo minus præſidii, Livium, divinæ veritatis luce nunquam colluſtratum, gregi Atheorum vindicans, infauſtæ iſti ſectæ conciliavit. Ne infinitos quaſi veterum Auctorum locos ego quidem jam perſequar, quibus machinoſas veterum Romanorum religiones obvolutas

a Tolandus in Adeiſidæm., ſeu Tit. Livio a ſuperſtitione vindicato, pag. 7. ſeqq.

tas animadverti, unum dumtaxat ceteris minus obſcurum, ex VARRONIS fractis tabulis apud AUGUSTINUM [a], heic ſubjiciam. *Non ego illa judicio meo ſequor, quæ civitas Romana inſtituit. Nam ſi eam civitatem novam conſtituerem, ex naturæ potius formula, Deos, nominaque Deorum, eſſem dedicaturus: ſed jam, quoniam in vetere populo eſt accepta, ab antiquis nominum & cognominum hiſtoriam tenere, ut tradita eſt, debeo, & ad eum finem illa ſcribere ac perſcrutari, ut potius eos magis colere, quam deſpicere, vulgus velit*: ita perorat VARRO. VARRONEM ergo (quis autem religionum reipublicæque patriæ, hoc intelligentior?) Romulea Pompiliave ætas ſi tuliſſet, longe alium, eumque naturalem, & Imperio Romano multo aptiorem, excogitaturus eſſet Deorum cultum, atque traditurus.

III.

Sacra Chriſtianorum ad leges Romanorum publicas exiguntur.

Exercitio tyrannidis apud Romanos, ceu diximus, publicis religionibus fulto,

 has,

a AUGUSTINUS L. IIII. c. 31. de Civ. Dei.

has, ne detrimenti quid caperent, variis legibus munire cogitarunt, ex quibus antiquissima est Romuli, a CICERONE [a] servata: *Separatim nemo habessit Deos, neve novos, sed nec advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto*, cet. A. V. C. 326. *datum est*, commemorante LIVIO [b], *negotium ædilibus, ut animadverterent, ne qui, nisi Romani Dii, neu quo alio more, quam patrio, colerentur*. Argumento harum, similiumque legum, in quibus enarrandis non est, cur longior sim, præter alia nova ac peregrina, Christianorum præcipue Sacra tanto severius damnata vetitaque credebantur, quo magis Sacrorum externorum famulatu, populi animi, ut JUL. PAULLUS ICtus inquit, commoveri, commotus populus ab obsequio reipubl. debito liberari, ad seditionem vocari, atque adeo ipsa majestas Populi Romani, quam publicis religionibus sistere diximus, subdole violari, videbantur. Hoc est, quare *Christianos circa majestatem infamari* conqueratur TERTULLIANUS [c]. Quippe majestatis crimen TACITUS [d] explicans, *si quis*, ait,

a CICERO, de Leg. II. 8.
b LIVIUS IIII. 30.
c TERTULLIANUS, ad Scap. c. 2.
d TACITUS, An. IIII. 1.

ait, *proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique male gesta republ. majestatem P. R. minuisset*. Super illos XXXI. modos, quibus majestas P. R. directo lædi dicitur *L. v. seqq. D. & L. S. C. ad Leg. Jul. Majest.* is cumprimis, ut ULPIANUS *L. I. §. I. ad Leg. Jul. Maj.* inquit, *majestatis tenetur, cujus opera dolo malo consilium initum erit, quo homines ad seditionem convocentur*. In seditionis istius suspicionem, præsertim nocturnis & clandestinis, quos, PLINIO [a] teste, facere consueverant, cœtibus adducebantur Christiani, vel hac sola de caussa capitali pœna digni, *cap.* VIII. LL. XII. *Tab.* ex collectione LUD. CHARONDÆ: *ne quis in urbe cœtus nocturnos agitet, qui secus faxit, capite multator*. Quod legum decemviralium caput lege Gabinia confirmatum: *qui coitiones nocturnas conflavisset & clandestinas, more majorum, capitali supplicio multetur*. Ex quo fiebat, ut PLINIUS, HIERONYMO [b] auctore, de re Christianorum ad Trajanum referens, antelucanas eorum hæterias, in capitalium numero reposuerit. Quid? crimen majestatis sub Tiberio, ac succedentibus, si

 a pau-

[a] PLINIUS, x. Ep. illa famosa 97.
[b] HIERONYMUS Chron. Euseb. ad An. C. 111.

a paucis discesseris, primi a C. N. sæculi Imperatoribus tantum exaggeratum auctumque Tacitus [a], & Svetonius [b] commemorant, ut levissima quæque caussa & species ad Legem Jul. Majestatis traheretur. Quo ex argumento Christiani majestatis sceleri, tam tyrannice extenso, obnoxii fuerint, facile, opinor, colligi potest ex isto Plinii: [c] *dicavit cœlo Tiberius Augustum, sed ut majestatis crimen induceret*. Satis ergo tituli [d] suppetebat, legitimas de Christianis hominibus capiendi pœnas, quamlibet ab isto rigore juris interdum recessum sit, nec attinebat, iis alia crimina falso & sine idonea caussa intendere, quippe quæ, at maximam partem,

a Tacitus, An. l. 72.

b Svetonius, Tib. c. 58.

c Plinius, Panegyr. c. 11.

d Romæ incendium, quod sub Nerone accidisse ex Tacito, L. xv. Annal. 44. constat, adeo non αἰτία fuit infamis illius & crudelissimæ Christianorum afflictationis, nec eo usque insaniæ progressi sunt gentiles, ut *ingentem* Christianorum *multitudinem* pro facibus incendii hujus habuerint, quod quidem Henr. Dodwellus, Dissert. Cyprianica xi. de paucitate, §. 13. pag. 232. sibi persuasit, indeque supplicia de Christianis, qui Romæ versarentur, dumtaxat sumta collegit; ut potius triste istud Urbis fatum occasionem obtulerit ad scelus religionum & majestatis exsequendum. Nam ad urbem orbemve Romanum utcunque affligendum, patrii Dii inflammati credebantur desita neglectaque in eos animadversione, qui novum & peregrinum numen colentes publicis & avitis Sacris maledicerent: Averruncandæ ergo Deum iræ, & reipubl. afflictæ rursus excitandæ, Christianos cædi placuit.

tem, per piam fraudem, quasi gentiles essent calumniatores, Christianis ipsi eorum apologetæ ea fini affinxisse videntur, ut concitato Christianorum in gentiles odio, occasionem eadem crimina his regerendi nanciscerentur.

I I I I.

Paullus, Apostolus, criminis majestatis reus.

Hæc quum ita essent, oppugnaturo Sacra Romanorum publica, & Christi vexilla sublaturo divinum plane

.... robur & æs triplex
circa pectus erat

admodum necesse, quo gladii, quos leges Romanæ in hostes religionum & majestatis porrexerant distringendos, vehementius retundi possent. Et vero petitiones in se conjectas sæpius cavit propulsavique feliciter Heros præcipue noster, S. Paullus. At vitæ naturalis, & capitis civiis extremum in discrimen devenit Philippis, juris Italici colonia, *L. 6. D. de Censib. L.* 8. *§.* 8. *eod.* Scilicet obtorto collo in jus raptus, Duumviris Philippensibus offerebatur, *Actor.* XVI. 19. 20. Voce forensi: *offerre*, quod accusatoris

 est,

eſt, veluti reum ſiſtentis, *L.* 13. *ſ. ult. de Re mil.* perite uſus eſt S. LUCAS, vel quiſquis primus ille Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, nempe eorum, quæ ab Apoſtolis geſta ſunt, Scriptor. Omiſſis ſolennibus quibuſdam judicii publici partibus, *ἀξίωσις*, an dicam, *ἀξιώσεως* argumentum, producitur: *ὗτοι οἱ ἄνθρωποι* (*Παῦλος καὶ Σίλας*) *ἐκταράσσουσιν ἡμῶν τὴν πόλιν, Ἰουδαῖοι ὑπάρχοντες, καὶ καταγγέλλουσιν ἔθη, ἃ οὐκ ἔξεστιν ἡμῖν παραδέχεσθαι, οὐδὲ ποιεῖν, Ῥωμαίοις οὖσι*, *Act.* XVI. 20. 21. Ecce! tibi hyſterologia; dici debuiſſet: annunciando cerimonias novas, eaſque vetitas, perturbant civitatem noſtram homines iſti Judæi, i. e. Chriſtiani [a]. In atrociſſimum ergo ex delictis publicis, de quo paullo ante diximus, jam vocatum videmus S. Paullum, civem Romanum.

Ex

[a] Judæorum & Chriſtianorum nomina ex errore inter ſe confudiſſe dicuntur gentiles. Sedere cœpit ſententia hæc, & eruditum vulgus in eam quaſi curſu vadit. Res eo redit. In ſuſpicionem; ſe Apellam eſſe, ſi quis ceciderat, veniendum erat in rem, atque *τὰ αἰδοῖα* inſpicienda, SUETON. Domit. c. 12. Quos, relictis Judæorum Sacris & Chriſtianorum ſuſceptis, circumciſos reperiebant, dixerunt Judæos: neque vero univerſo Chriſtianorum cœtui hoc nomen indifferenter impoſuerunt gentiles. Probandæ quidem huic ſententiæ adduxerunt BARONIUS, ad An. LXXXXIIII. n. I. BASNAGIUS, exercit. in Baron. pag. 139. aliique DIONIS, Vit. Domit. SUETONII, Claud. c. 25 & SPARTIANI, Caracal. 1. locos: verum dubiæ interpretationis ſunt, & partim de vere Judæis intelligi poſſe videntur.

V.

Ex delictis civium Romanorum servitutis poenæ origo ac natura demonstratur.

Tanta principio fuit civis Romani dignitas, ut ultimum supplicium nullo modo in eum constitui, ne posset de eo sumi. Civitatem Romanam & ultimum supplicium ἀσύςατα in primis evicit JAC. RÆVARDUS [a]. Criminibus quibusque hac ratione fores quia fuissent apertæ, iccirco pessulus e republ. videbatur obdendus. Quo factum, ut ab antiquioribus Romanis, commemoratum civitatis privilegium versute & subtiliter infirmantibus, intra terminos legum tamen consistentibus, capitale civis Romani facinus cœptum sit haberi pro signo obligatorii consensus in pœnam ultimam, capitali delicto, ut haud ignorat delinquens, ex legum sanctione, consequentem [b]: haud se-

a RÆVARDUS, c. 27. ad LL. XII. Tab.

b Inde haud difficulter confici potest ratio Leg. 1. pr. de pœn. *Quotiens de delicto quaritur, placuit, non eam pœnam subire quem debere, quam conditio ejus admittit eo tempore, quo sententia de eo fertur: sed eam, quam sustineret, si eo tempore esset sententiam passus, quum deliquisset*; inquit ULPIANUS. Ad hæc, inde apparet, quam ob rem olim accusatores, ex constitutione Augusti, SVETON. in ejus Vit. c. 32. in cri-

ſecus, ac major xx. annis, qui, lucri cauſſa, venum ſe dari paſſus eſt, ſimul ac participaverat pretium, tacite itidem conſentiebat pœnæ legitimæ, h. e. *ad ſervitutem*, ut QUINCTILIANI [a] verbis, in ſimili caſu, utar, *ſe ipſe adſtringebat*, *L.* 7. *D. & L.* 5. *C. de lib. cauſ. ac ſtatu ſuo ſe abdicabat*, *L.* 21. *D. de Stat. hom.* Romanæ vero civitatis jure mutuum cum pœnis ultimis commercium prorſus reſpuente, civis, per noxam tacite ſe obligando pœnæ, civitati ſuæ ipſe renuntiaſſe, eandemque ſibi abjudicaſſe fingebatur: quæ intima priſcæ ætatis fuit philoſophia. Ficta iſta civitatis abjectio tantiſper ad rempubl. erat dubia, *arg. L.* 9. *D. qui teſt. fac. poſſ.* dum in reum, delicti admiſſi convictum, idemque confeſſum, centuriatis Comitiis, *cap.* 3. *LL.* XII. *Tab.* vel Quæſtionibus a populo conſtitutis, *cap.* 4. *LL.* XII. *Tab. L.* 2. *§.* 23. *D. de O. I.* feralis pronunciaretur ſententia. Qui fiebat, ut capitalis rei civitas ipſo jure evaneſceret: *nam ſtatim ut de his ſententia dicta eſt, conditionem ſuam permutant*, inquit MACER ICtus,

crimen ſubſcriberent, L. 7. pr. de Accuſat. & Inſcr. Opus erat conſenſu eorum expreſſo, quo ſe ad pœnam talionis obſtringerent, ſi calumniæ convicti: nam tacitus deerat.

[a] QUINCTILIANUS Inſt. Or. L. 11. c. 16.

ICtus, *L.* 10. *§.* 1. *de pœn.* & *L.* 12. *D. eod.* ait: *nam ſola ſententia ſpectatur*; citra prævíam amiſſæ civitatis expreſſam declarationem, quam quidem, ut miror, aſſeruit GER. NOODT [a]: quamvis id alia ratione publice ſignificatum fuiſſe, *Sect. ſeq.* oſtendam. Enimvero ut civitati, ita & libertati ſuæ capital faciens vehementer nocebat: quippe qui ad ſubeundas quoque ſerviles pœnas, ultimo ſupplicio, ex norma præſcripta, præcurrentes, tacitum dediſſe conſenſum credebatur. His pœnis ut primum voluntarie ſe ſubjiciebat capitaliter delinquens, libertatem ſuam ipſe depoſuiſſe fingebatur. Ejuſmodi abdicationem propriæ libertatis CICERO [b] diſerte attribuit incenſo, *hunc*, inquiens, *qui, quum liber eſſet, cenſeri noluerat, populus judicat, ipſum ſibi libertatem abjudicaſſe*. Ipſo igitur facinoris capitalis commiſſi momento, libertatem propria quaſi ſecuri præciderat delinquens: id quod tamen nemini ſatis liquere poterat, niſi in maleficii reum lata eſſet, quæ proprie

a NOODTIUS, L. III. Probabil. c. 12. *Ubi commiſſum erat*, inquit, *a cive flagitium, quod morte expiandum videbatur, quæſitores non civem capitis damnabant* (*non enim fas erat*) *ſed non eſſe civem, eum judicabant*. NOODTIO fraudi fuiſſe videntur, quæ ſcripſit RÆVARDUS c. 27. ad LL. XII. Tab.

b CICERO, Or. pro Cæcin. c. 34.

prie huc pertinet, capitalis ſententia, veluti repudiatæ libertatis teſtimonium. Ex eo tempore, noxius pro capite minuto certiſſime haberi poterat: quapropter ad tempora pronunciatæ ſententiæ retulerunt civitatis & libertatis jacturam Gaius, *L. 8. ʃ. 4. qui teſt. fac. poſſ. L. 29. de pœn.* Macer, *L. 10. ʃ. 1. de pœn.* Ulpianus, *L. 6. ʃ. 6. de ini. rupt.* & Imperator, *ʃ. 1. ʃ. de cap. dem.*

V I.
Ampliatio.

Adeo ſubtiliter caput de civitate & libertate erat exemtum. In publicum maximæ iſtius capitis deminutionis ſymbolum, *ſerviles*, ut ab Auctoribus [a] dicuntur, pœnæ horridi hujus carminis: [b] *I, lictor, colliga manus, caput obnubito, virgis cædito*; brevi ante ultimum ſupplicium, veluti libero homine indignum, noxio irrogabantur. Equidem collegi id in primis ex P. Horatii patris pro filio perduelli,

a Quo pertinet iſtud Dionysii Halic. L. viiii. Ant. p. 597. ἕτερον οἱ τῶν ἱερῶν ἐπίσκοποι συλλαβόντες ἐν ἀγορᾷ μάστιξιν αἰκισάμενοι καθάπερ ἀνδράποδον, ἀπέκτειναν.

b Vid. Livius, L. ii. viii. xxii. & Valerius Max. R. M. L. viii.

li, vel dicam, parricida, oratione plane admirabili, quæ ex LIVIO[a] in orcheſtram producatur, oppido digna. *Hunccine, quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidiſtis, Quirites, eum ſub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre poteſtis? quod vix Albanorum oculi tam deforme ſpectaculum ferre poſſent. I, lictor, colliga manus, quæ paullo ante armatæ imperium populo Romano pepererunt. I; caput obnube, liberatoris urbis hujus. Arbori infelici ſuſpende; verbera vel intra pomœrium, modo inter illa pila & ſpolia hoſtium: vel extra pomœrium, modo intra ſepulcra Coratiorum, quo enim ducere hunc juvenem poteſtis, ubi non ſua decora eum a tanta fœditate ſupplicii vindicent?* Dici profecto non poteſt, quam ſignificanter, quam eleganter, quam multa, quam paucis loquatur LIVIUS ex perſona P. Horatii, quam prudenter foro præcipue utatur. Futuri ſcilicet ſervitii metu, teſte LIVIO[b], Albani juxta Romanique, anceps ante certamen Horatiorum ternorum, cum tantundem Coratiis, eo-

a LIVIUS, L. I. c. 26.

b LIVIUS, L. I. c. 25. Quapropter ex tergeminis fratribus natu maximus patrem ita compellat, apud DIONYS. HAL. I. 111. p. 153. *τεθνάναι ἂν βυλοίμεθα μᾶλλον ἢ ζῆν ἀνάξιοι γενόμενοι σοῦ τι ϗ τῶν προγόνων.*

eodemque durante, detinebantur suspensi maximo: verum hoc metu per solum Horatium vincentem feliciter liberati erant. Quo insignius erga cives suos Horatii filii beneficium, qui servile jugum, cervicibus eorum imminens, periculo suo, repulerat; eo indignius Romanis futurum esse, inde colligebat in laudata defensione Horatius pater, si forte civium liberator ab his istis in servitutem, pro præmio, mox deinde publice detruderetur. Quo commotus populus parricidam absolvit: pater per missionem filii sub jugum [a], quo liber dimitteretur [b], libertatem ejus, antea valde ancipitem, ita sartam tectam conservavit. Næ! istius dictionis vis ac potestas minus perspici potest, nisi capitalis delicti reus, saltim ex primo instituto, ad publicum argumentum certi servitutis generis, quod plane ex rei natura *servitus pœnæ* dicebatur, ad furcam deligandus, quod ad caput obvolvendus, flagris denique, in deductione ad locum supplicii, cædendus intelli-

a Livius loc. cit.

b Dionys. Halic. L. III. p. 159. ἔστι Ῥωμαίοις νόμιμον, ὑπάγειν τοὺς αἰχμαλώτους ὑπὸ ξύλα, καὶ διελθόντας ἀπολύειν ἐλευθέρους ἐπὶ τὰ σφέτερα.

intelligentia anticipetur [a]. Id cognitum habebat perſpectumque Imp. Nero, qui, teſte AURELIO VICTORE [b], damnatus a Senatu, ut, collo in furcam conjecto, vinctus atque nudus per publicum duceretur, & virgis ad mortem uſque cæderetur, perſonæ ſuæ indignum judicavit, ſubire infamem (*Vid. Sect. ſeq.*) iſtam *pœnæ ſervitutem*; propterea mortem ipſe anticipavit. Quid? publicam vinctionem, in ſervitutis ſymbolum, priſcis Romanis, ſymbolorum amantiſſimis, ſigillatim uſurpatam fuiſſe, vel hinc liquet, quod nobiles hoſtium, recens bello capti, vinculis, quo ſpeciem ſervorum præberent, publice conſtricti, pompa triumphali agerentur, paſſim teſtantibus rerum Romanarum ſcriptoribus. Captivi iſti, Imperatore de foro in Capitolium flectente, quando plerumque necari ſolebant,

[a] Fidem LIVII ſuſpectam reddere videtur CICERO, Orat. pro Rabir. *I, lictor, colliga manus, quæ non modo hujus libertatis manſuetudiniſque non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numæ, ſed Tarquinii, ſuperbiſſimi ac crudeliſſimi regis iſta ſunt cruciatus carmina, caput obnubito, virgis cædito*; inquit CICERO. TULLIUM ergo triſtem illam ac ſolennem formulam ad Tarquinium Sup. auctorem retuliſſe, dicas. At quidem CICERO, ut paucis me expediam, in frequentiorem carminis horridi exſequutionem, Tarquinio Sup. tyrannidem exercente, invehitur.

[b] AURELIUS VICT. Vit. Neron.

lebant; ſervitutem in locum cædis ſucceſſiſſe, non eſt perpetuum, nec etymologia *ſervi a ſervando §. 3. I. de Jur. Perſon. L. 4. §. 2. D. de Stat. hom.* veroſimilis [a]. Quin immo naturalis plane ratio alteri libertatem ſuam per vincula demendi, locum aperuiſſe videtur originationi vocabuli, δῦλος, παρὰ τὸ δέω, unde δειλὸς, litteratura mutata, δῦλος. Videlicet libertas erat ἐξυσία αὐτοπραγίας, potentia naturalis agendi, & quo quis velit, adeundi & abeundi. Quapropter Libertati Deæ Romani adjunxere Adeonam, & Abeonam, h. e. accedendi & recedendi facultatem. Hoc theologiæ gentilis commentum cauſſam attuliſſe videtur *Legi 2. D. de lib. hom. exhib. Nihil multum a ſpecie ſervientium differunt, quibus facultas non datur recedendi*, inquit Venulejus. Itaque in gypſum, in metallum, vel in opus metalli perpetuum damnatis quod potentia inde recedendi adimeretur, &, adjectis vinculis, ut Plinius [b], & Ulpianus, *L. 8. §. 6. D. de pœn.* teſtantur, in vim pœnæ, duram ſubire cogerentur in me-

a *Servum* Siculi veteres, quorum lingua fons latinæ fuit, dixerunt σέρατον, ex quo confectam vocem; *ſervus*; veroſimilius conjecit Cl. Salmasius, de Mod. Uſur. pag. 256.

b Plinius, L. x. cp. 66.

metallis mansionem, quæ vinculorum appellatione non minus continetur, *arg. L. 9. D. ex quib. cauſ. mai.* XXV. *ann.* iccirco JCti Romani perpetuo damnatos in metallum, veluti proximam a morte, *L. 28. pr. de poen. L. 1. ∫. 1. de requir. vel abſ. damn.* immo morte duriorem[a] coercitionem, *pœnæ ſervorum* nomine, ex paritate rationis, paullo longius tracto, appellare non dubitarunt, *L. 8. ∫. 4. ſeq. D. de pœn. L. 36. eod.* Servitutis notam & veſtigium publica vinctione impreſſam diximus: hinc CICERO[b]: *facinus, vinciri civem Romanum*: hinc, ὁ χιλίαρχος, ait LUCAS, *Actor.* XXII. 29. ἐφοβήθη ἐπιγνοὺς ὅτι Ῥωμαῖός ἐστι, καὶ ὅτι ἦν αὐτὸν δεδεκώς. Similem quoque vim habuiſſe publica verbera, *ingenuis* proinde, ut Impp. *L. 8. ∫. 2. C. de repud.* dicunt, *aliena*, facile intellectu eſt, tum ex lege Servii Tullii de Incenſis, apud DIONYSIUM HALIC.[c], tum ex HORATIO[d], ſervilem conditionem a verberationis nota Menæ exprobrante. Nec minus heic commemorabile eſt C.

[a] Nimirum mors, ex quorundam Philoſophorum placitis, ærumnarum requiem, non cruciatum, habet.

[b] CICERO, Verrin. V.

[c] DIONYS. HALIC. L. IIII. pag. 221.

[d] HORATIUS, Ep. Od. IIII.

Matienii exemplum, ad mortem civilem virgis cæsi [a]. Nil ergo magis servilibus istis verberibus a tergis civium amovendum videbatur. Hinc perspici potest genuina ratio legis Porciæ, eleganter, puto, expressa in nummo Porciæ æneo, apud Cel. Jo. Gottl. Heineccium [b]. In aversa parte hujus numismatis magistratus stans civitatem & libertatem Romani stantis & provocantis tuetur a lictore, virgis in tergum civis sævire, atque ita servilem maculam adspergere parato. Tantum igitur abest, ut ex lege Porcia profecta sit *pœna servitus*, quod quidem ex JCtis nonnulli suspicati sunt, ut contra attulisse caussam legi Porciæ vel maxime videatur.

VII.

Servitutis pœnæ singularis effectus.

In ceteris servitutis generibus *pœnæ servitus* probrosissima erat & maxime infamis. Nam *existimatio*, h. e. *inlæsæ dignitatis status*, *ex delicto*, *auctoritate legis consumitur*, *quotiens magna capitis minutio interve-*

a Vid. Epitome Liviana L. LV.

b Heineccius, Præfat. de usu ac præstantia numismatum in Jurisprudentia, quæ Gundlingii exercitationibus Academicis præmissa est, pag. 15.

tervenit, idest, quum libertas adimitur[a]: *veluti quum plebejus in opus metalli, vel in metallum datur*: elegans effatum est CALLISTRATI, *L. 5. ʃ. 1. & 3. D. de Extraord. Cognit.* Et recte quidem ita philosophati sunt JCti Romani. Infamia, ut naturalis pœna, cujuscunque criminis est comes perpetua. Hinc se sordere omnibus hominibus, contemni, despici, sentiet delinquens. Hæc caussa est, quare PLINIUS[b], *in opus, vel in ludum, similiave his pœnarum genera damnatos*, i. e. *poenæ servos*, *L. 8. ʃ. 12. & L. 36. D. de pœn. publicorum autem servorum officio defunctos, non satis honestum putaverit, in officiis ministeriisque publicis retineri*. Quo permotus TRAJANUS[c], Plinio rescripsit, *intra proximos decem annos damnatos pœnæ reddi, ante decem annos damnatos distribui oportere in ea ministeria, quæ non longe a pœna sint*. Scilicet plurimum intererat inter *servos pœnæ*, & ceteros servos, tam publicos, quam privatos, qui, atrociori ex delicto *servi pœnæ* facti, non quidem capitis, quo desti-

 tue-

a Infamiam juris ipso gravioris perpetrati delicti tempore ἀμέσως irrogari, nullum est dubium: hoc eodem tempore libertatem adimi, ut supra diximus, etiam a CALLISTRATO heic confirmatum vides.

b PLINIUS, L. x. Ep. 40.

c TRAJANUS Imp. Ep. 41.

tuebantur, *ʃ. 4. I. de cap. dem.* maximam deminutionem iterum pati poterant, ſed dominorum deſinebant, *L. 3. pr. & ʃ. 1. D. de his, quæ pro non ſcript.*[a] *L. 25. ʃ. 1. de Fideicom. lib. L. 8. ʃ. 12. de pœn.* atque eorum conditio in longe duriorem, eamque infamiſſimam, abibat, *arg. L. 10. ʃ. 1. in fin. D. de pœn.* qua non niſi per principis indulgentiam liberari poterant, *arg. L. 1. D. de ſent. paſ. & reſt.* Inſtitutum erat plenum prudentiæ civilis, & ad genium Romanorum paullo elatiorem optime comparatum, maleficiorum reos in ſervilem abjectamque illam conditionem abripi, atque ita, dum adhuc in vivis eſſent, infamia affici, quam cadaveribus punitorum variis modis demum irrogare quædam gentes inepte aſſolent. Reliquorum vero ſervorum inhumanum prorſus

[a] MARCIANUS JCtus, Leg. exeit. 3. D. de his, quæ pro non ſcript. *Si in metallum damnato quid extra cauſſam alimentorum relictum fuerit; pro non ſcripto eſt, nec ad fiſcum pertinet: nam pœna ſervus eſt, non Cæſaris.* Ficulnea ſane videtur hujus Legis ratio, ex reſcripto D. Pii producta. Quo jure confiſcari potuerunt bona in metallum damnatorum, L. 8. §. 4. D. qui teſt. fac. poſs.? Quicquid in gratiam hujus Legis proferas, id in diſpendium illius diſtorqueri poterit. Rem ſi detuliſſes ad arbitrium Cel. GOTTL. CORTII, cujus jugulum deinde petemus, ſine dubio ita foret definita: bona damnatorum ad metallum ſacranda videri Pœnæ, Vindictæ Deæ: quemadmodum Lege Tribunitia ſacrata cautum: *tribunum ne verberato &c. qui contra faxit, ſacer eſto, bonaque ejus Cereri dicata ſunto.*

ſus ſtatum, utpote doctrinæ Stoicorum de *Homine* maxime adverſarium, miror, apud Romanos, diſciplina Zenonia maximam partem imbutos, obtinuiſſe. Vires ingenii ſui exercere potuiſſet Jo. HARDUINUS, in dubium incertumque vocando ſervorum, in primis privatorum, conditionem atque ſtatum.

VIII.

TERTULLIANUS *emendatur & explicatur*.

Nec denique prætermittendum duxi iſtud TERTULLIANI [a]: *Itaque quum vice rebellantium ergaſtulorum ſeu carcerum, vel metallorum, vel hoc genus pœnalis ſervitutis erumpunt adverſus nos, in quorum poteſtate ſunt, certi & impares ſe eſſe, & hoc magis perditos, ingratis reſiſtimus ut æquales*. Pro: *certi & impares ſe eſſe, & hoc magis perditos, ingratis reſiſtimus*; reſcribo: *ingratiis certi, & impares ſe eſſe, & hoc magis perditos reſiſtimus &c.* ipſum paullo difficiliorem locum ſic παραφράζω: *itaque gentiles, dæmonum & ejuſmodi ſpirituum vi acti, firmiſſimeque, quamvis illubenter, perſuaſi, ſe impares eſſe, ac proinde tanto magis perditos,*

G 3 quum

[a] TERTULLIANUS, Apolog. adverſ. Gent. c. 27.

quum pœnam rebellium servorum, pœnam metalli, & quicquid est pœnalis servitutis, cum impetu in Christianos constituunt, in quorum potestate tamen ista vires dæmonum sunt; nos resistimus, perinde ac si nobis res tantum esset cum paribus. TERTULLIANUS tamen, quod heic dissimulare nequeo, per *pœnalem servitutem* denotare videtur qualecunque supplicium capitale : ἀπὸ τῶν προηγουμένων τὰ ἐπιφερόμενα, ut veteres Chrysippei loquuntur. Quippe ultimi supplicii primordia & quasi præcurrentia sunt sæpius commemorati carminis horridi pœnæ, publici illi *servitutis pœnalis* indices.

VIIII.

Variæ Leges conciliantur.

Accepisti, quid nobis visum fuerit de forma *servitutis pœnæ*, Criticorum & politiorum JCtorum crucis. JUSTINIANUS juris antiqui consequentias nobis in Pandectis custodivit, principiis maximam partem suppressis, nunc denuo eruendis. Hinc interpretationi nostræ consequentes sunt *leges Cardinales* 12. & 29. *D. de pœn.* Altera MACER JCtus, *quod ad statum damnatorum*, inquit, *pertinet*, *nihil*

nihil intereſt, judicium publicum fuerit, nec ne: nam ſola ſententia, non genus criminis, ſpectatur: itaque hi, in quos animadverti jubetur, quive ad beſtias dantur, confeſtim pœnæ ſervi fiunt. Altera GAIUS noſter: *qui ultimo ſupplicio damnantur, ſtatim & civitatem & libertatem perdunt*. In utrumque laudatum JCtum ſe minus præbet emiſſarium JUSTINIANUS [a], *ſervitutem pœnæ*, quam abrogatam vult [b], ex ſupplicio profectam pronuncians. Nam partim ad patrati facinoris, ad ſententiæ latæ partim, partim ad ſervilis ſupplicii, h. e. horrendi carminis exſecuti, tempora *ſervitutem pœnæ* referri poſſe, ſupra expoſuimus. Puerilia ſunt, quæ ſcripſit GRONOVIUS [c]. *Servi pœnæ, qui ad gladium, vel ad beſtias, vel in metallum damnati ſunt, ut definit* ULPIANUS, *L.* 25. *§.* 3. *D. de adq. vel om. her. Hi proprie ſervi pœnæ. Nam alias & quoſcunque, in quos animadverti jubetur, hoc nomine appellat JCtus*, L. 12. *D. de*

a JUSTINIANUS, Novel. XXII. c. 8. quam ad ſervitutem pœnæ haud pertinere contendit Ill. JCt. Chriſt. WÆCHTLERUS, in Act. Er. Lipſ. ad An. 1718. p. 123. ſed litem ſuam fecit, nec ſententiam ulla ratione defendit: quare in ea non hæreo amplius commororque.

b Commemoratæ Nov. XXII. c. 8. addatur Authent. Sed hodie C. de don. inter. vir. & ux.

c GRONOVIUS, L. 1. Obſ. 28.

de poen. Quid enim? Melius profecto sibi consuluisset Gronovius, hoc juris Romani argumentum, ut Pignorius, insignis ille veteris servitii expositor, si plane intactum reliquisset. Etenim, ut Tribonianus cum *συνεργοῖς plebem Romanam a populo eo differre* inepte prorsus dixit, *quo species a genere*, *§. 4. I. de I. N. G. & C.* ita quoque *servos poenæ* distinxit Gronovius, minus animadvertens, *servitutis poenæ* generatim consideratæ notionem, quæ *LL. 12. & 29. D. de poen.* continetur, damnatis ad ferrum, aut metallum, aut bestias, tamquam speciebus, communem esse. Imperator vero, *§. 3. I. quib. mod. Jus patr. pot. solv.* Gaio, *L. 8. §. 4. D. qui test. fac. poss.* & Ulpiano, *L. 25. §. 3. D. de acq. vel om. her. L. 6. §. 6. de ini. rup. irr. fact. test.* præeuntibus, certa poenarum genera propterea attulisse videtur, quod plurima scelera, eaque atrociora, iis compescerentur: v. g. majestatis rei, *L. 38. §. 2. de poen.* sacrilegi, *L. 6. ad Leg. Jul. pec.* parricidæ, *L. 9. pr. ad Leg. Pomp. de Parricid.* latrones, *L. 28. §. 15. de poen.* actores seditionis, *L. 38. §. 2. eod.* aliorumque criminum rei bestiis objici. Bestiis quoque in ludum venatorium damnatos,

natos, ad depugnandum, datos fuisse, inter omnes constat. Hoc caussa est, quod nomine *servorum pœnæ*, longius, quam fas est, tracto, & *bestiarii* isti sint appellati, *L.* 8. *§.* 11. *D. de pœn.* Quam sententiam, miror, disputatione fori obtinuisse; si quidem bestiis subjiciendi iis ad prædam dabantur inermes & ligati variis modis, quos percenset ANT. GALLONIUS [a]: *Non uno eodemve modo feris objiciebantur, siquidem aliquando vestibus denudati in mediis theatris aliisve locis, in quibus morabantur, includi solebant: quandoque stipitibus ligati* [b]; *vel retibus involuti; aut ferarum pellibus induti; aut denique pedibus, perforatis lapidibus, liquefacto plumbo insertis & candentibus subulis in manuum digitis, per longum defixis, Canum laniatibus, custodiis conclusi tradebantur.*

X.

Fictionibus juris servitus pœnæ asseritur.

Servitutem pœne fictionibus juris inniti, supra diximus. Intercedit Cel. GOTT-

a GALLONIUS, de Cruciatib. Martyr. c. VIIII. p. 302.

b VOPISCUS, Aurelian. c. XXXVI. *Sane Mnestheus postea surrectus* (h. e. rectus ligatus) *ad stipitem, bestiis objectus est.* Ergo

Gottlieb Cortius[a], qui fictionibus quibuscunque Jure Romano motis, in juris fictionem, per quam *servitus pœnæ* nata dicatur, potissimum pellere satagit. Aucupatur verba, utpote fictioni contraria, in Pandectis frequentata: *pœna servus est*, *L. 3. de his, quæ pro non script. Pœnæ servi fiunt*, *L. 12. de pœn. Sunt servi pœnæ*, *L. 17. eod. Servum pœnæ effici*, *L. 6. §. 6. de ini. rupt.* At quidem fictiones, quæ est harum præcipua regula, imitari debent ipsam naturam, *arg. §. 4. I. de Adopt. Ne imagine naturæ veritas adumbretur*, ut lepide ait Papinianus. Sequitur inde, ut fictionem, quasi revera existeret, proponendam duxerint JCti Romani subtiliores, poetarum exempla secuti, Homeri mei in primis, cui ejusmodi loquendi forma usitatissima est in novo, quem sibi ope fictionis fabricatus est, mundo. Quid? quod eadem verba in *fictionibus Biblicis* reperiun-

Ergo *bestiis subjiciebatur* seu *objiciebatur* ab iis lacerandus devorandusque, *bestiis dabatur*, in eas, ex judicis sententia, vel domini jussu, pugnaturus. De qua differentia controversiam inter se habuere Ill. JCti, Balthas. Branchu, & Christoph. Wæchtlerus, in Act. Er. quæ Lipsiæ publicantur, Tom. VIII. Supplem. p. 172. seqq. Paucis, puto, dirimi potest: differentiam ab antiquis Auctoribus magis custoditam esse quam JCtis Roman.

a Cortius in Diss. inscripta: Vindiciæ Prætoris Rom. & Juris honorarii, Lips. 1730. recus. Lugd. Bat. 1749. pag. 55.

periuntur usurpata, v. g. in *unitate carnis ficta*, *Gen.* II. 24. jun. *Matth.* XVIIII. 5. & I. *Cor.* VI. 16. ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν; q. d. quælibet uxor, simulatque in matrimonium verum, idque efficax, cum viro convenerit, ad exemplum primæ parentis, e costa mariti sui creata, atque ita ab eo generata fingitur.

X I.

Servitus pœnalis in Sacris Romanorum frustra quæsita.

Interpretatione *servitutis pœnæ* vulgari & valde imperfecta, quam, præter CUJACIUM, HUBERUM, NOODTIUM, aliosque Juris interpretes, tradidit HEINECCIUS [a], ex merito repudiata, meliorem, quod vere philosophici ingenii est, paullo infeliciori tamen successu, meditari cœpit Eruditissimus ceteroquin CORTIUS, *Diss. cit.* Foro Romano derelicto, ad Sacra Quiritium confugit. De furiis, enormium scelerum ultricibus, ex fabula antiqua quædam ubi præfatus est, maleficiorum reos, Pœnæ, Vindictæ Deæ, Fu-

a HEINECCIUS, Syntagm. Ant. Rom. Jurisprud. illustrantium, L. 1. Tit. 16. §. 5.

Furiarum parenti [a], quos exagitet, sibi addicat, addictos in æternam servitutem suam trahat, devotos esse, ac propterea *servorum Pœnæ* nomine ab JCtis Romanis appellatos, contendit, ipsa Romanorum Theologia, credo, vehementer repugnante. Hinc proprio gladio jugulari potest Ill. CORTIUS. Videlicet Pœnæ seu Furiæ supremi Numinis affectiones sunt. Affectio CICERONI [b] videtur ea res, cui major aliqua inest vis & potentia, quæ sine Deo regi nequit, ideoque divini nominis & naturæ particeps facta. Multiplicibus, quibus summum gaudet Numen, affectionibus, adnumerandæ cum primis sunt vires insectandi vexandique scelestorum animos [c], iisdemque pœnas aliquando persolvendas repræsentandi. Consentiens est CICERO: *Agitant & insectantur impios furiæ, non ardentibus tædis, sicut in tabulis, sed ardore conscientiæ.* Nec minus huc trahendum Neronis exemplum, qui sceleris conscientiam, quamvis & militum, & senatus, populique gra-

a VALERIUS FLACC. L. 1. Argonaut. 795. 796.

b CICERO, Lib. de Nat. Deor.

c Hæc caussa est, quod vires istas, cum aliis nominibus tum præsertim Erinnyum, h. e. mentis discordiarum, insigniverint homines profano Deorum cultui addicti.

gratulatione confirmaretur, nec ſtatim, nec unquam ferre potuit, ſæpe confeſſus, exagitari ſe materna ſpecie, verberibuſque Furiarum [a]. Furias ad Forum dumtaxat divinum pertinere, inde apparet. Hinc, ſecundum Theologiam gentilem, *ſervo Pœnæ*, vel potius *Pœnarum* [b], reſponderet notio hominis, pœnam patrati facinoris, Vindictæ Deæ a morte dandam, cum angore & perturbatione animi, præſentientis: quæ quidem infelix futuræ pœnæ præſenſio inter omnes fere verſatur flagitioſos. E contrario JCti Romani, *in quem certum ſupplicii genus, judicis humani ſententia*, *L. 12. D. de pœn.* *ſeu fiſcali auctoritate*, *L. 2. C. quib. ad lib. procl. non lic.* conſtitutum, hunc civitate non minus quam libertate privatum, eoque *ſervum pœnæ*, plane ex rei natura, dixerunt. Heu, quanta utriuſque formæ differentia! Tantum abeſt, ut in rem CORTII ſit iſtud Melitenſium effatum, quod quidem ex *Act.* XXIIII. 4. pro ſe adduxit: *πάντως φονεύς ἐςιν ὁ ἄνθρωπος ὗτος, ὃν διασωθέντα ἐκ τῆς θαλάσσης, ἡ Δίκη*

[a] SVETONIUS Ner. c. 34.

[b] Ποινὰς, in multitudinis numero, & ἐμποίνιμοι SOPHOCLI in Ajace, aliiſque Auctoribus antiquis dicuntur diræ ſcelerum ultrices.

Δίκη ζῆν ὐκ ἔιασεν, ut potius in subsidium nostrum vocemus. Nempe serpentis morsus ordinaria homicidii pœna erat apud varias gentes, immo, quod maxime probabile est, apud ipsos Melitenses. Hinc fiebat, ut Dice seu Justitia, Themidos, h. e. Jurisprudentiæ divinæ seu naturalis filia natu major, pœnarum, quas legislatores sanciverant, præses, ad institutum ergo humanum pertinens, memoratam pœnam a Paullo, homicida opinabili, postulare, Melitensibus dicatur. Ad hæc, citra vetustæ auctoritatis calculum, reos atrociorum scelerum Pœnæ Deæ sacratos, commemorat Cortius, nec juvat, sacratarum legum violatores vel Jovi, vel Cereri, vel Diti & Lemuribus [a], quin etiam omnibus Diis, fuisse ad pœnam devotos. Fingamus, maleficiorum reos sigillatim Pœnæ, Vindictæ Deæ

[a] Dionysius Halic. L. II. p. 84. Ἔθος γὰρ Ῥωμάιοις, ὅσους ἐβούλοντο νηποινὶ τεθνᾶναι, τὰ τούτων σώματα θεῶν ὅτῳ δή τινι, μάλιστα δὲ τοῖς καταχθονίοις κατονομάζειν. Καταχθόνιοι θεόι heic, opinor, latine reddi debent Lemures seu Larvæ, inferorum genus, *quod malis*, commemorante Apulejo de Deo Socr. p. 50. *non solum noxium perhibetur, sed quod ipsum etiam, ob adversarita merita, nullis bonis sedibus, incerta vagatione, ceu quodam exilio punitur*, ut idem Apulejus loc. cit. testatur. Quo factum est, ut Larvarum in numerum hominem maleficii reum, post mortem ejus, quam unusquisque accelerare poterat, reponi voluerint gentiles, atque ita a Manibus & Laribus segregari.

Deæ sacros, & per viam violentæ mortis in servitutem ultricis hujus Deæ quasi ductos, atque adeo in metallum, aut venatorium ludum damnatis *servorum pœnæ* nomen a JCtis Romanis, quos veram *servitutis pœnæ* naturam & indolem CORTIUS nondum docuerat, perperam esse impositum, *L.* 8. *§*. 4. *& L.* 36. *D. de pœn.* tum fingamus, cum istis, si qui forte sint, Pœnæ Deæ *sacris* hominibus *servos pœnæ* vocari idem, id quod analogiæ, ut in gratiam CORTII infra [a] demonstrabo, magnopere haud adversatur: sequitur inde, ut in *servorum pœnæ* societatem veniant & ani-

a Nempe *Sacrum* est, quidquid cum Diis quamcunque rationem commerciumque habet. Ita obscuriusculo huic verbo notionem antea vagam assero. Quod diximus cum Diis commercium vel compendio esse potest rei sacræ, vel dispendio, ut in his videre licet hominibus, qui Diis ad pœnam devovebantur, sive publica, sive privata auctoritate, cujus rei exemplum exstat in LIVIO, L. III. c. 48. ubi Virginius Appium sanguine filiæ suæ consecrat. Quid? quod ipse *Christus* cruore innocentum profuso verpos consecravit, Matth. XXIII. 35. quemadmodum hi Christianos versa vice devovere consueverant, hac formula: ὅτι ἐπικαταράσαι ὁ θεὸς τοὺς Ναζωραίους. HIERONYM. de Loc. Hebr. Tom. III. Opp. pag. 188. Itaque scelestorum hominum, eorumque Pœnæ sacrorum, commercium cum memorata Vindicta Dea perinde comparatum esse posset, atque id, quod cum ferociori suo domino habet servus. At enim *servi pœnæ* notio magis analoga videtur *noxio*, quem prisci latini sermonis Auctores passim dicunt. Quippe proprium voci: *noxius*; ut ex SPARTIANI Adr. c. 17. aliisque constat, domicilium est in judicis sententia damnato, eoque aliquid servile passo: quapropter & *obnoxius* apud PLAUTUM, Pœn. III. 1. 15. 17. & LIVIUM, XXIII. 12. Idem est ac servus, liberoque opponitur.

animalia ista piacularia, quæ, alienæ noxæ succedanea, ipsorum nocentium loco, teste LIVIO [a], ab cacozelis gentilibus, publice sacrabantur; sed cui Numini? Pœnæ quippe Deæ. Salvete, servi novelli, semel atque iterum salvete, nomine ceterorum *pœnæ servorum*! Sane Remmia Lege minus tenetur Ill. HEINECCIUS [b], dicam CORTII *Vindiciis Prætoris Rom. & Juris honorarii* scribens, *Virumque illum doctum, effusa omni bile, magno conatu, maximas nugas egisse* contendens. Usque adeo *pœnæ servo*, ut ex CORTII cerebro prosiluit, vix trama figuræ est reliqua; quin eum, sicuti fuit, supra contemplandum exhibuimus.

XII.

Paullus Apostolus, majestatis reus, capitis damnatus, vinctus & flagellatus, fit pœnæ servus.

Abjectissimam illam & maxime infamem *pœnæ servitutem* quasi honestavit Paullus, Apostolus, in eam, quod restat demonstrare, abstractus. Scilicet negotium divi-

a LIVIUS, L. I. c. 26.
b HEINECCIUS, Histor. Jur. Civil. Rom. ac German. p. 632.

divino illi Viro, in caussa ἀσεβείας, supra diximus, Philippis esse comparatum: testimonio autem plebis instructum munitumque, his verbis, puto, denarrat *Actor. Ap.* Architectus, XVI. 22. συνεπέστη ὁ ὄχλος κατ' αὐτῶν. Nam in judicio majestatis audiuntur testes, quamvis integræ famæ & fidei haud sint, vel propria scientia, vel ejus ratione destituantur, ad summam, quamvis minus classici sint, *arg. Legis* irrationabilis 7. *D. ad Leg. Jul. Maj.* perinde quasi sola atrocitas facinoris præsumtionem veritatis facti a quopiam commissi augere, vel minuere, posset. In enarratione facti seu exordio defensionis suæ, accusationem excipientis, nullum est dubium, quin *Christo* nomen dederit Paullus: inficiatione nominis *Christi* disciplinæ Christianæ vehementer repugnante: adeoque cultum ejus palam sit professus; id quod sententiæ capitali ferendæ erat, nec amplius audiebatur Paullus, justitiam caussæ suæ demonstraturus. De illegitimo hoc tractandi modo mirum quantum indignabatur, *Act.* XVI. 37. haud ignorans, ὅτι οὐκ ἔστιν ἔθος Ῥωμαίοις χαρίζεσθαί τινα ἄνθρωπον εἰς ἀπώλειαν, πρὶν ἢ... τόπον ἀπολογίας λάβοι περὶ τοῦ ἐγκλήματος; *Act.* XXV.

16. *L.* I. *pr. D. de requir. vel abs. damn.* *L.* 19. *de poen.* Verum immemor erat præsagiorum *Christi Matth.* x. 22. XXIIII. 9. *Luc.* XXI. 12. ἔσεσθαι μισούμενοι ὑπὸ πάντων διὰ τὸ ὄνομά μου, h. e. religionis & majestatis scelus nomini Christiano cohærere existimabitur. Inde evenit, ut supplicia Paullo & Silæ constituerentur ultima. Feralem istam sententiam prorsus dubiam incertamque tibi videri, dicas, quum præsertim de flagellatione dumtaxat meminerit LUCAS *Act.* XVI. 22. Scrupulum istum, spero, iri exemptum, I. considerato commentariensis conatu, se ipsum occidendi, *Act.* XVI. 27. Haud nesciebat servus iste publicus, se succedere oportere in æqualem custodiarum pœnam, hæ ut effugerant, *L.* 12. §. 1. *de custod. & exhib. reor.* Quid? quod *majestatis teneatur, qui confessum in judicio majestatis reum, & propterea in vincula conjectum dimiserat*, inquit ULPIANUS, *L.* 4. *pr. ff. ad L. Jul. Maj.* Ratione haud vacat hæc lex. In sceleris majestatis, atque adeo pœnæ societatem venit, qui, ejusmodi reum compedibus expediendo, viam reipubl. amplius nocendi munit. Mortem ergo & commentariensis noster anticipare tentabat. Caussam atten-

attentatæ αὐτοφονίας commode expressit LUCAS, *Act.* XVI. 27. ὁ δεσμοφύλαξ, ἰδὼν ἀνεῳγμένας τὰς θύρας τῆς φυλακῆς, σπασάμενος μάχαιραν, ἔμελλεν ἑαυτὸν ἀναιρεῖν, νομίζων ἐκπεφευγέναι τοὺς δεσμίους. II. Prætores, capitis quem damnaturi, surgere, ac prætextam, qua induti, deponere. Quod cum ex aliis, tum ex commemorabili illa specie apud VALERIUM MAXIMUM [a] apparere potest, quæ, observante CHRISTOPHORO LUD. CRELLIO [b], ICto elegantissimæ doctrinæ, postea caussam attulisse videtur *Legi 3. D. de bon. eor. qui ante sent. mort. sibi consciver.* Verba vero ita facit VALERIUS MAX. *Mox quum Marcum Ciceronem, qui id judicium coegerit, prætextam, quam ponere solebant Magistratus, quum damnationis sententiam pronunciarent, ponere vidisset Caius Licinius Macer, Vir prætorius, Calvi pater, criminis repetundarum reus, misit ad eum, qui diceret: se non damnatum, sed reum, periisse, nec sua bona hastæ subjici posse. Ac protinus sudario, quod forte in manibus habebat, ore & faucibus coarctatis, incluso spiritu, pœnam morte præcurrit.* Hactenus VAL. MAX. Sicuti in rei-

H 2 publ.

a VALER. MAX. L. VIIII. R. M. 12. n. 7.

b CRELLIUS in observationib. ad L. 3. D. de bon. eor. qui ante sent. mort. sibi consciver. p. 8.

publ. tempore toga, quasi feriatum vestimentum, abjici solebat, CICERONE [a] teste: *Consul, quum vos vestem mutandam censuissetis, cunctique mutassetis, unguentis oblitus, cum toga prætexta, quam omnes Prætores Ædilesque tum abjecerant, irrisit squalorem vestrum*: ita maxime abjicienda videbatur Prætori, tristem aliquam sententiam laturo. Prætextæ vero habendæ jure magistratibus in coloniis permisso atque concesso, id quod ex L. Valerii Oratione apud LIVIUM [b] scimus, ad fidem maxime probabile videtur, ad hunc eundem depositionis prætextarum ritum respexisse S. LUCAM, *Act.* XVI. 22. *περιῤῥήξαντες αὐτῶν τὰ ἱμάτια*; generali voce *ἱμάτιον*, ut in PLUTARCHO etiam observavi, pro *περιπόρφυρος* adhibita. Sic tolli videtur ambiguitas græci sermonis, qui, quod obvertat fortasse quis, de spoliatione vestium Paulli & Silæ intelligi posset, quo homines istos vivos mortui boves tanto efficacius incursitarent, si comice loquaris. III. Sententiam in Paullum latam statim excipiebant servilia verbera, fortasse in solatium plebeculæ lacessitæ: extremum vero

a CICERO, Or. post redit. & DIO CASS. L. XXXVIIII. & LVI.
b LIVIUS, L. XXXIIII. 7.

vero ſupplicium de condemnato poſt decendium ſumi demum poterat, id quod SCto, Tiberio auctore ſancito, cautum erat [a]: hinc Paullus, condemnatione & flagellatione ejus uno eodemque temporis tractu peracta, ad ultimam pœnam reſervatus, conjiciebatur in carcerem, quippe qui ad continendos tantum reos, pœnas quandocunque daturos, haberi debet, *L.* 8. *ſ.* 9. *D. de pœn.* IIII. Tanta ſceleris, cujus poſtulabatur Paullus, atrocitas fuit, ut in ejus convictum, vel id confeſſum, at ex gentilium mente, non niſi ultima ſtatui poſſet pœna, quam LUCAS propterea heic omiſiſſe videtur, quod *ea ſententiæ interdum minus adjici, verum poteſtati legum relinqui ſoleret*, inquit MARCIANUS JCtus, *L.* 1. *ſ.* 4. *D. ad SCt. Turpil.* Qua fere pæna puniendi ſint Chriſtiani homi-

a TACITUS, An. III. 1. SUETON. Tiber. c. 75. DIO, L. LVII. Δόγμα τί παραδοθῆναι ἐκέλευσε, μητ' ἀποθνήσκειν ἐντὸς δέκα ἡμερῶν τὸν καταψηφισθέντα ὑπ' αὐτῶν: *Niſi forte ſeditio prærupta moram non recipiat, tunc enim ſeditionum concitatores, vel duces factionum damnatos ſtatim puniri publice intereſt*, aiunt ULPIANUS, L. 6. §. 9. de injuſt. rupt. & MODESTINUS, L. 16. de Appel. & Rel. Ratio eſt: ſeditionis capite quam primum præciſo, cetera membra elangueſcunt & exanimantur. At a Paullo, minus factioſo, quin univerſæ plebi, quam excitaſſe inſimulabatur, valde odioſo, nihil amplius ſibi periculi fore animadvertens magiſtratus Philippenſis, ſupplicium ejus, ex SCto, ad decendium tuto prorogabat.

nes, ex Tertulliano [a] perspici potest, *ab initio*, ait, *mandatum fuisse, ut gladio animadverteretur in Christianos, idque suo adhuc tempore observasse præsidem Mauritaniæ*. Itemque, gladium ultorem, quem in dubio præsumi scimus, omnino innuisse videtur Trajanus [b], Plinio simpliciter respondens: *Si deferantur, & arguantur, puniendi sunt*. Loquimur heic de pœna ordinaria, nec vero de privilegiis odiosis in Christianos irrogatis. Quæ quum ita sint, quid est, quod dubites de suppliciis capitalibus in Paullum ejusque socium constitutis: licet supplicii primordia, nimirum verbera, quibus revera castigatus est Paullus, in *Actis Ap.* solum commemoraverit Lucas? Multo tamen expressius, puto, pro ἐκέλευον ῥαβδίζειν, scribi potuisset, ἐκέλευον τῷ νόμῳ χρῆσθαι, *jusserunt lege agi*, h. e. noxios publice ligari, cædi flagellis, capita eorum obvolvi, gladio tandem præcidi. Næ! hæc tragica nex etiam Paullo fuisset illata, nisi terræ motus intercessisset, quo Duumviri cum universa civitate tantum contremuere, ut adversi quid metuentes, sententiam suam re-

a Tertullianus ad Scap. c. 4.
b Trajanus Ep. 98.

rescindi, & utrosque correos bona gratia dimitti vellent; quamquam potestate rescindendi sententiam dictam, *L.* 42. *&* 45. *§.* 1. *L.* 55. ff. *de re jud.* & damnatos restituendi, omnino destituerentur, *arg. L.* 1. *§. ult. D. de Quæst.* jun. *L.* 7. *§.* 2. *D. de offic. Proconf.* Timorem Duumvirorum Paullus, scenæ serviens, augere studet renunciando ad eos, & suam, & Silvani [a], civitatem Romanam, *Act.* XVI. 37. 38. Post flagellationem, quam commemoratione civitatis suæ initio depellere, cruciatumque a corpore dejicere potuisset, Romanum civem demum agere cœpit Paullus, incepto minus perstitit. Enim vero præceptum *Christi*, *Matth.* v. 39. de injuriis non vindicandis haud obstetisset, quominus vim injustam, si quam sibi putasset illatam, ulcisceretur. Regulæ *Christi*, quæ, ex notione amoris profecta, legem naturalem continet, fecisset satis Paullus, si ei animus ab omni cupidine odii & vindictæ alienus vacuusque, immo injuriam iterum perpeti paratus fuisset.

[a] Si forte accidisset, ut Silvanus, homo peregrinus, de jure virgarum esset in judicum consilium missus, ita vivam, ut obtentus civitatis Silvani cessisset male, nec sufficeisset, opinor, per synecdochen loqui. *Civitatem enim Romanam qui usurpaverant, securi percussos fuisse*: *testatur* SVETONIUS, in Vit. Claud. cap. 15.

Id ipſum tamen haud impedire, quominus reipublicæ, quippe cujus intereſt, ne quis temere alterum laceſſere audeat; vindicta tradatur, ex colliſione regularum de amicorum & inimicorum amore, pluribus evicit Magnus ille Philoſophus, & Præceptor olim meus CHRISTIANUS *Liber Baro a* WOLFF[a]. Accedit, quod judices, qui privatorum habitum induunt, ſimulac regionibus officii ſui ſeſe continere deſiſtant, injuriamque inferant, poſſe conveniri leges ipſæ indulſerint, v. g. actione injuriarum, *L. 32. D. de injur.* nefas enim eſſe, inde injuriarum occaſionem naſci, unde jura naſci debent, graviter monuerunt Impp. *L. 6. C. unde vi*. Quæ quum ita ſint, quin magiſtratui Philippenſium, ut CICERO[b] Verri, crimen majeſtatis, quæ in læſo cive Romano ipſa violata credebatur, minari perſeveravit Paullus, atque ita vicem reddidit? Nempe ſuo in tempore, Paullus, ad jura Romana, civitatis præſertim, ut qui maxime, doctus, ſecum commentabatur, ſe ſervilibus carminis horridi pœnis, & has excipienti ultimæ pœnæ ſceleris læſarum religio-

[a] WOLFFIUS, Hor. Subceſiv. Marburgenſ. trim. vern. A. 1729.
[b] CICERO, Verrin. ult. in fin.

ligionum & majestatis, ut primum id, ex mente gentilium, admiserat, tacite consensisse credi; se civitatem & libertatem una abjecisse fingi: propterea quod capitale supplicium & civitas Romana, nec non pœnæ serviles aliquotfariam commemoratæ & libertas, quasi societate coire non possent. Meminerat insuper Paullus, se criminis, in quod vocatus, non modo convinci, idemque, *Christo* nomine dato, confiteri, atque sua propria sententia quodammodo damnari, *L.* 1. *D. de Confess.* verum etiam foro Philippensi per provocationem & commemorationem civitatis suæ, quippe quam ejus majores singulari beneficio fuisse adeptos, demonstravit Spanhemius [a]: ergo citra expressam declarationem Duumviri prædivinare non poterant, ergo nec Lege Julia de Vi publica tenebantur, *L.* 7. *D. ad Leg. Jul. de Vi publ.* tempestive haud declinato, capitis damnari, quod paullo ante probavimus, atque adeo civitatis & libertatis jacturam ipso jure facere. (*Vid. Sect. nostr.* v.) Servilium denique verberum & vinculorum, quibus, ad publicum *servitutis pœnalis* argumentum, (*Vid. Sect.* vi.) erat coer-

a SPANHEMIUS, Orb. Roman. Exerc. 1. c. 16.

coercitus, recordans; inde usque repetens, Paullus, jure minus restitutus, colligebat, se non amplius esse civem Romanum, cujus personam propterea ultra tueri non poterat, sed capite, qua diximus ratione, tunc temporis minutum, h. e. *poenae servum*. Civitatis ergo, quam Paullus prætendebat, mimum facile perspicere potuissent Duumviri Philippenses, nisi illum nocte, sine lumine Jurisprudentiæ Romanæ, in foro oberrassent. Quo factum est, ut homines isti, terræ motu jam antea mire perterriti, audita Paulli civitate, multo timidiores redderentur. *Act.* XVI. 38. In hac timoris calumnia, Paullum ejusque comitem ipsi convenere, eorum mentes staturi, & urbe egredi etiam atque etiam rogaturi. *Act.* XVI. 39. Honestiorem dimissionem, obtentu civitatis exspectatam, ex voto impetrabat Paullus. *Act.* XVI. 40. Nec minori cum prudentia, opinor, civitatem, qua quidem ante quæstionem illam Philippensem gavisus est, aliquanto post prætexuit Hierosolymis, *Act.* XXII. 25. 27. quo per dolum isthunc bonum, quem veteres dixerunt, L. 1. §. 3. *D. de dol. mal.* 2. *Cor.* XII. 16. fraudes Judæorum excluderet, eorumque insidiis

ſidiis facilius ſe expediret, ad gentiles primo quoque tempore iturus viſere: nec ſpes decollavit. Quia vero timebat, ne futurum ſit, ut ſibi quæſtio ſtatus moveatur; icciroo in orationibus, pro ſe ad Judæos, & Agrippam habitis, *Act.* XXII. XXVI. periculum ſuum Philippenſe ſilentio plane præterivit. Salva quoque religione, ſe civem ſimulare pro re nata poterat Paullus, quamlibet civitatis jacturam non ita multo ante fecerat Philippis: ſiquidem firmiſſime ſibi perſuadebat, ſe longe ab intentato crimine abeſſe, atque adeo, vi injuſtæ Philippenſium Duumvirorum, ad cœleſtia cœcutientium, ſententiæ, civitatem ſuam non minus quam libertatem amiſiſſe innocenter. *Ἐν τούτῳ* propterea inquit *Act.* XXIIII. 16. *αὐτὸς ἀσκῶ, ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τοὺς ἀνθρώπους διαπαντός*. Interim tamen ad captum Romanorum loquens, & principiis eorum, ad quos ſcribebat, domeſticis velificans, indignitatem calamitatis, quam pro cauſſa Chriſti Philippis pertulerat, Romanis ſuis clarius repræſentare non potuiſſet, quam ſe nuncupando *δοῦλον Ἰησοῦ Χριστοῦ*, *Rom.* I. I. *τῷ ἕνεκα*, ut in *δέσμιος Χριστοῦ*, *Philem.* V. I. & 9. *κατ' ἔλλειψιν*

λείψιν suppresso, nec servitutis genere, id quod præjudicio foret, nominatim expresso. Itaque per τὸ δοῦλος Ἰησοῦ χριστοῦ longe alia significantur, quam merum Christi ministerium, quod quidem gravissimi quique docuerunt Auctores, Paullum eo, ut tautologum, tacite arguentes; quandoquidem notio ministerii officio Apostoli, qualem in eodem commate se nominat, juncta semper est & inseparabilis. Inficias tamen haud eo, sub voce δοῦλος, in sanctioribus litteris, quandoque simpliciter subjici notionem ministri.

XIII.

Servitus pœna, in quam Christus ipse abreptus, Paullo valde gloriosa.

Rem christianam tanto majoribus meritis sibi devincire, ac tanto majori propterea gloria digni credebantur in veteri Ecclesia Confessores & Martyres, quo magis ad rei christianæ fructum redundare videbantur injuriæ, calamitates, cruciatus, supplicia, propter *Christum*, æquo animo perlata. Nam facultate simulandi & dissimulandi sub doloribus ademta, θελήλατος constantia detestandi inter perpessio-

